



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Vniversae Theologiae Speculativæ, Sacramentalis,
& moralis**

Petrus <a Sancto Josepho>


Coloniæ, 1648


urn:nbn:de:hbz:466:1-42284




Th. 2396,

G. 1. 38.







THESES
VNIVERSAE
THEOLOGIAE

Speculatiuæ, Sacramentalis,
& moralis.

*Nunc primum in Germania editæ, & à
mendis accuratè expurgatæ.*

AUTHORE

D. PETRO à S.^{to} JOSEPH.
Fulienfi.



COLONIÆ,

Apud CONSTANTINUM MUNICH,

ANNO M. DC. XLVIII.

Cum speciali Privilegio S. C. M. ad decennium.



AD LECTOREM.



*T tibi, studiose Lector,
Idearum nostrarum faci-
lior sit usus, habes hic
Theses non parum accu-
ratas, universa doctrina Theologi-
ca in iis contenta. Univerſe dico, non
enim primarias tantum totius operis
resolutiones exſcribo, ſed ſi quid
præterea obſervatu dignum in pro-
bationibus, aut argumentorum ſo-
lutionibus occurrit, breviter attingo.
Unde id commodi ex hoc opuſcu-
lo referes, ut privatim trium, aut
quatuor horarum ſpatio recollere fa-
cile poſſis, quæ nonniſi magno labo-
re, & plurium annorum curriculo
in ſcholis comparâſti; imò quicquid
ego ipſe per totos viginti annos ſtu-
dendo,*

AD LECTOREM.


dendo, docendo, scribendo in Theologicis assequi potui. Nec queraris, quòd hæc Summaria ordine alphabetico non disposuerim, nam præterquam quòd in eiusmodi dispositione illud mihi semper displicuit, quòd quæ ad eandem omninò rem spectant, non omnia in eodem loco, sed plerumque in pluribus, valdeque distantibus exhibentur; non eo certe animo hæc scripsi, ut nudum rerum Theologicarum indicem traderem, quo solum notaretur qua pagina res qualibet tractetur: sed in eorum gratiam qui Theologiam nostram versant, unicam trium Idearum summam, & velut Ideolam, eomaximè consilio conficere statui, ut hanc sæpiusvolvendo, quæ in aliis paulò latius tractata habent, eorum memoria firmiter infixahæreant. Hoc autem non assequerentur, nisi eundem

AD LECTOREM.

dem ordinem, qui in ipsis Ideis servatus fuit, in hisce earum Thesibus observatum viderent: quin potius, si quæ in Idearum capite tractantur, ad calcem compendii rejicerem; & vice versa, si earum finis hujus esset principium, ut in indicibus fieri solet, ea materiarum confusio similem quandam in studiosorum animis specierum perturbationem pareret. Caterum et si in Idea Sacramentali, & Morali omnia fere quæ ad praxim fori pœnitentialis spectant, tractata sint; quia tamen innumeri summulam casuum, ut vocant, conscientia à nobis instantissime efflagitant, spondeo me brevi, si Deus votis annuerit, piis eorum postulatis satisfacturum. Superest, Lector, ut hoc qualicumque opusculo Theologico diu felix fruaris, & si quid præterea à tenuitate nostra expectas,

AD LECTOREM.

*meam valetudinem non tam annis
quàm laboribus admodum debilita-
tam, ac pene exhaustam, salutis hu-
mane Authori supplex com-
mendare non gra-
veris.*



Facul-

*Facultas admodum Reverendi Patris
Generalis.*

Ego infra scriptus Fulienſis Abbas, ac totius Congregationis Beatae Mariae Fulienſis Ordinis Cisterciensis Superior Generalis, Facultatem concedo dilectiſſimo nobis in Christo Domino: Petro à Sancto Joſeph ejuſdem Congregationis Sacerdoti ac Monacho Professo, librum quem composuit, cuique titulus est. *Theses Univerſae Theologiae, Speculativae, Sacramentalis, & Moralis,* edendi in lucem, praevia tamen Doctorum censura, atque approbatione. Datum Lutetiae Parisiorum apud nostrum sancti Bernardi Monasterium sub propriae manus subscriptione, & Officii nostri Sigillo xvii. Kalend. Jun. Anno ab Incarnatione Christi Jesu supra millesimum sexcentesimo quadragesimo secundo.

F. CAROLUS A. S. PAULO.

De mandato admodum R. Patris Generalis.

F. JACOBUS S. BERNARDO, Secretarius.

APPROBATIO
Doctorum.

Nos infra scripti sacra Facultatis Theologi-
ca Parisiensis Doctores Sorbonici, testamur
legisse Theses Universæ Theologiæ,
Speculativæ, Sacramentalis & Moralis, Labore
& industria D. Petri à S. Ioseph. Fulienfis excer-
ptas ex Idea Theologiæ quam idem D. Pierate &
doctrina clarissimus expresserat; nihil autem in
iis deprehendimus repugnans fidei, Catholica
Apostolica & Romana Ecclesia, vel moribus
sanctis. Datum Parisiis octavo Idus Junii 1648.

F. HOBIER.

M. BOVLE.

EOURLON.

THE-

I

THESES
UNIVERSÆ
THEOLOGIAE

Speculativæ, Sacramentalis, &
Moralis.

PARS PRIMÆ

Continens summam accuratissimam Ideæ
Theologiæ Speculativæ.

PROŒMIUM.

De ipsa Theologia secundum se.

Ref. 1. **T**HEOLOGIA, quoad substantiam spectata, est necessaria ad salutem, non in singulis sed pro singulis, saltem ut plurimum.

Ref. 2. Theologia absolute dici potest scientia propria; etsi non sit evidens, agatque de singularibus.

Ref. 3. Theologiæ objectum materiale primum est Deus: ratio formalis quæ, Deitas: ratio verò formalis sub qua, discursus ex revelatis.

Ref. 4. Theologia, ut procedit ex duobus principiis fidei, est una specie scientia, non autem si spectetur, ut etiam complectitur conclusiones ex altera præmissa naturali erutas.

2 DE PIA THEOLOGIA.

Et scientiæ naturales Adæ infusæ, quoad generationem, penderent à revelatione divina; non tamen quoad usum.

Ref. 5. Theologia nostra non est propriè subalternata scientiæ Beatorum.

Ref. 6. Theologia est simul speculativa, & practica; idque formaliter: magis tamen est speculativa, quam practica.

Ref. 7. Theologia, quoad dignitatem, præstat scientiis merè naturalibus, ratione materiæ, quam tractat, principiorum, quibus innititur, & luminis, quo acquiritur.

Theologia est certior scientiis naturalibus, etiam quoad conclusiones ex una præmissa de fide, & altera naturali, erutas.

Lumen naturale est à Deo, ut à prima causa: lumen autem fidei est ab illo, etiam ut à prima Veritate.

Ref. 8. Theologia nostra meretur propriè nomen Sapientiæ.

Sapientia non distinguitur à scientia per exclusionem, sed per majorem inclusionem.

Theologia sumit varias propositiones à scientiis naturalibus, tanquam ab inferioribus & ancillis.

Theologia ita, utitur propositionibus Philosophicis ut de illis judicet, neque illas admittat, nisi ut suis principiis consentaneas.

Ref. 9. Theologia evidenter negativè solvere potest argumenta suis principiis opposita, non autem evidenter positivè.

Ref. 10. Loci Theologici ad sex capita reduci possunt. 1. Sumitur ab authoritate Scripturæ sacre. 2. Ex traditionibus. 3. Ex Conciliis generalibus. 4. Ex decretis summorum Pontificum. 5. Ex communi Patrum & Theologorum consensu. 6. Ex ratione naturali.

Scriptura sacra habet duplicem sensum, litteralem, & spiritualem, qui rursus subdividitur in allegoricum, tropologicum seu morale, & anagogicum.

LIBER I.

DE DEO, UT UNO.

CAP. I. **D**eum esse, est per se notum, secundum se,
Ref. 1. non quoad nos.

Illā propositio, cujus prædicatum est de intrinseca ratione subjecti, merito dicitur per se nota, secundum se.

Cognitio Dei dicitur nobis à natura congenita, quia à pueritia, aut facile ex creaturis illam comparare solemus.

Ref. 2. Deum esse, demonstrari non potest à priori, sed à posteriori potest.

Cognitio clara & obscura de eadem re haberi potest per diversa media.

Ref. 3. Deum esse, triplici præcipuè argumento evidenter probari posse videtur: nempe ex rerum causalitate, contingencia, & ordine.

Ref. 4. Existentia Dei non tantum identificatur cum essentia divina, sed etiam est de conceptu formali, & intrinseco illius.

Patres, quando dicunt, Deum sibi esse causam essendi, intelligendi sunt in sensu negativo.

Existentia Dei non potest cum fundamento, præscindi per intellectum, ab essentia illius.

CAP. II. *Ref. 1.* Attributa divina non distinguuntur realiter, aut ex natura rei, ab essentia Dei, vel inter se: esto Deus dicatur generare per intellectum, non per voluntatem.

Unum attributum non est magis idem actu cum se ipso, quam cum aliis; sed tantum virtute, & ratione.

Non bene colligitur distinctio attributorum, ex distinctioe creaturarum; neque ex eo quod intellectus noster ea variè describit.

Ref. 2. Attributa divina non distinguuntur tantum nomine ab essentia, & inter se, sed virtualiter, seu ratione ratiocinata.

Beati non distinguunt attributa divina per rationem, sed tantum viatores.

Inter attributa divina non est nisi ordo virtualis; unde intellectus in Deo ratione precedit voluntatem, immutabilitas æternitatem, &c.

Ref. 3. Attributa sunt à parte rei de conceptu Essentia divina, & vice versa; non tamen respectu nostri intellectus, inadæquatè, & explicitè ea concipientis.

Illud est tantum de conceptu explicito alicujus rei, quod primariò & explicitè objicitur intellectui eam concipienti.

Propositiones, in quibus unum attributum prædicatur de alio, sunt veræ in sensu formali; formalitate se tenente ex parte objecti, non intellectus nostri.

Ref. 4. Quamvis actualis intellectio fit à parte rei de formali constitutivo divina Essentia, non tamen juxta conceptum nostrum explicitum.

Non fit Deo injuria, quod eum concipiamus per modum substantia intellectiva, à se existentis.

CAP. III. *Ref. 1.* Deus non est corporeus, nec compositus ex materia & forma.

Corporum variis defectus, quoad entitatem, modum existendi, & agendi vim.

Scriptura sacra membra humana Deo tribuit, ut varias illius perfectiones quoquo modo exprimat.

Ref. 2. Non est in Deo compositio, sive ex natura & supposito, sive ex essentia & existentia.

In Concilio Rhemenfi damnatus est Porretanus, quod negaret propositiones illas, Deus est Deitas, Deus est veritas, &c.

Ref. 3. Neque Deus componitur ex genere & differentia, vel ex subjecto & accidente.

Non

DE DEO, UT TRINO. 5

Non est in Deo compositio ob Trinitatem personarum: sive considerentur ut sunt unum in essentia, sive ut distinguuntur inter se realiter.

CAP. IV. *Res. 1.* Deus non tantum est perfectus, sed etiam summè perfectus.

Creaturae, etsi suo modo perfecta dici possint, quantum ad entitatem, operationem, & assecutionem finis; Deus tamen in eo genere longè est perfectior.

Omnis perfectio in tota latitudine entis, concipi debet ut Deo debita.

Res. 2. Perfectiones simpliciter simplices sunt in Deo formaliter; simplices verò secundum quid, eminenter duntaxat.

Perfectio simpliciter simplex dicitur illa quae in quolibet ente; ut ens est, melior est ipsa quam non ipsa, simplex verò secundum quid, quae non ita se habet.

Creatura dicitur similis Deo analogicè; non tamen Deus dici debet similis creaturae.

Nomina communia Deo & creaturis, non dicuntur de illis univoce, neque aquivocè, sed analogicè.

Res. 3. Deus est summè bonus, idque triplici titulo, nempe ut bonum dicitur quod bene operatur, quod est conveniens sibi, vel alteri, quodque habet perfectiones requisitas.

Esse bonum per essentiam, est proprium solius Dei.

Creaturae dicuntur bonae à bonitate sibi inhaerente, non à bonitate Dei, licet iis communicata in genere causae efficientis, exemplaris, & finalis.

Deus dicitur bonum omnis boni, quia causat omnem bonitatem creaturarum, modis praedictis.

CAP. V. *Res. 1.* Deus est essentialiter infinitus: esto rerum omnium perfectiones formaliter non contineat.

Creatura, simpliciter finita, dici potest infinita

6 DE DEO, UT UNO.

secundum quid : Nulla tamen quantumvis perfecta, est essentialiter infinita.

Res. 2. Non potest dari infinitum actu, sive secundum multitudinem, sive secundum magnitudinem, sive secundum intensiorem.

Tempus non potuit esse ab aeterno, & quamvis fuisset, Deusque singulis diebus creasset unum Angelum, nondum Angelorum numerus esset simpliciter infinitus.

Res. 3. Deus est ubique in hoc mundo, est etiam extra hunc mundum, in spatiis imaginariis.

Deus generatim est tribus modis in rebus omnibus, nempe per essentialiter, per praesentiam, & per potentiam : & in quibusdam rebus, aliis modis specialibus.

Spatia imaginaria non sunt physica & positiva, ut illa imaginamur, sed sunt quaedam negatio, cum non repugnantia ut repleatur.

Ubiquitas Dei connotat aliorum coexistentiam, non autem illius immensitas. Unde haec est necessaria, & aeterna, illa libera, & temporalis.

Immensitas absolute nulli creaturae competere potest. Ubiquitas vero, aliquatenus potest.

CAP. VI. *Res. 1.* Deus adeo est immutabilis, ut nullo modo possit mutari, sive quoad substantiam, sive quoad accidentia : mutatione perfecta, vel amissiva.

Creatura quaelibet, varias mutationes subire potest, quoad substantiam, quoad qualitates, quoad locum, & si sit intellectualis, quoad electiones, aliasque operationes internas.

Res. 2. Deus, utpote ens absolute necessarium, prorsusque immutabile, est verè, & proprie aeternus.

Aeternitas est, interminabilis vitae, tota simul, & perfecta possessio. Ita Theologi, ex Boëtio.

Vulgaris illa descriptio Aeternitatis, Durationi Dei,

Dei, quæ à substantia divina non distinguitur, perfectè competit.

Duratio Dei, etsi in se indivisibilis, coëxistit omnibus temporibus: sicut anima rationalis coëxistit corpori quanto, & punctum circumferentiæ.

Licet æternitas divina sit prorsus immutabilis, variatio aliqua in dicta coëxistentia reperitur.

Ref. 3. Ævum est duratio indivisibilis, & tota simul: sicut est indivisibilis, & tota simul entitas quam mensurat.

Non tamen propterea adæquandum Æternitati, quæ neque in se, neque in sibi adjunctis successivam aliquam pati potest.

CAP. VII. *Ref. 1.* Deus potest in seipso clarè videri ab intellectu creato, non tamen naturæ viribus.

Dei visibilitas solo naturæ lumine demonstrari non potest sive per causas, sive per effectus.

Angelus inferior naturaliter superiorem, ut est in se, videre potest, ob convenientiam in ratione essendi ejusdem ordinis.

Chrysostomus cum ait, Deum à nulla creatura videri posse, intelligendus de visione comprehensiva.

Ref. 2. Beati de facto vident Deum per lumen gloriæ: quod est qualitas aliqua supernaturalis, elevans & roborans intellectum beati, ad clarè intuendam essentiam divinam.

Luminis gloriæ defectus non ita congruè, ac speciei impressæ, suppleri potest.

Ref. 3. De potentia absoluta Beati possunt videre Deum sine lumine gloriæ, Deo speciali concursu, illius defectum supplente.

Dico, speciali concursu, nam nuda Dei præsentia non sufficit ut intellectus beati elevetur ad videndum Deum.

Ref. 4. Nullus potest creari intellectus, cui lumen gloriæ sit connaturale: sicut non potest produci aliqua.

8 DE DEO, UT UNO.

aliqua creatura, quæ sit naturaliter beata, & impeccabilis.

Nulla creari potest substantia supernaturalis, quatenus supernaturale dicitur quod est supra exigentiam naturæ.

Quod intellige de substantia perfecta, nam modus aliquis substantialis, ordinis supernaturalis dari potest.

CAP. VIII. *Res. 1.* Non datur de facto in Beatis, species aliqua impressa, divinæ essentia, ab ea distincta.

Visio beatifica ut est à Deo specialiter concurrente per modum objecti, est necessaria; ut est ab illo tanquam à causa prima, est libera.

Etsi, ut visio beatifica fiat connaturali modo, requiratur lumen gloriæ; non tamen species impressa, cujus proprium est gerere vices objecti, non autem dare vires potentia.

Res. 2. Non repugnat, de potentia absoluta dari speciem aliquam impressam Dei, per quam Deus intelligibilitatem aliquam accidentalem, & extrinsecam accipiat.

Per visionem beatificam producit species expressa Dei: sicut per quamcunque aliam intellectionem, producit species expressa objecti cogniti.

Res. 3. Beati vident de facto, quicquid est formaliter in Deo: neque de potentia absoluta, Deum aliter videre possunt.

Communicabilitas ad intra, est proprietas naturæ divinæ; ad extra verò, in ordine ad visionem, totius entis divini.

Unde intelligitur cur una persona non possit videri sine alia, etsi una sine alia possit incarnari.

Essentia divina visa, dicitur speculum necessarium respectu sui, & liberum per ordinem ad futura contingentia.

Res. 4. Possunt Beati formaliter, vi visionis Dei, videre in ipso aliquas creaturas; non tamen omnia possibilis.

Minus

Minus est, videre Deum solum; quam simul videre Deum, & in eo creaturas aliquas.

Tam exigua potest esse Dei visio, ut nulla creatura distinctè in eo videatur.

Probabile est, quemlibet Beatum videre creaturas aliquas possibiles.

Res. 5. Non repugnat, res omnes futuras videri à Beatis in Essentia Dei; quamvis non sit necesse ut omnes videantur.

Beati vident in Deo genera, & species rerum; mysteria gratiæ, & quæ ad eorum statum pertinent.

Visio beata est omnino invariabilis; unde, ratione illius, creaturæ intellectuales participant æternitatem.

Cur unus Beatus cum tanto lumine videat has creaturas, non illas, petendum ex determinato influxu Dei.

CAP. IX. *Res. 1.* Inter visiones Beatorum; nulla est inæqualitas specifica: non tamen omnes Beati sunt æquales, in perfectione beatitudinis essentialis.

Visiones hominum beatorum sunt ejusdem speciei cum visionibus Angelorum. Visio tamen qua Deus seipsum videt, ab illis plusquam specie distinguitur.

Res. 2. Visio beatifica omnino commensuratur cum lumine gloriæ; ita ut duo habentes æquale lumen, æqualiter Deum videant cum intellectu inæquali.

Quantitas actionis, sumitur à quantitate causæ totalis, & completæ, quando utraque causa ex se aliquid potest ad effectum.

Visus acutior meliùs videt colorem, cum æquali lumine, at intellectus nobilior non meliùs videt Deum, cum æquali lumine gloriæ.

Res. 3. Etsi Deus aliquatenus à Beatis comprehendatur, propriè tamen est incomprehensibilis.

Illud propriè comprehenditur, quod tam perfectè cognoscitur, quantum ex parte sua cognoscibile est.

Res.

Ref. 4. Etsi Deus pleraque nomina propria habeat, propriè tamen est ineffabilis, & innominabilis respectu nostri.

Nomen, *Qui est*, est maximè proprium Dei, propter ejus significationem, universalitatem, & con-
significationem.

Nullum nomen Deo à nobis imponi potest, quod non includat aliquam imperfectionem in modo significandi, ut patet in illis nominibus, Deus, bonus, bonitas, &c.

CAP. X. *Ref. 1.* In Deo ponenda est vera aliqua scientia, quæ sit per modum actus secundi; eaque unica, seu simplicissima.

Ille actus secundus dicit ordinem ad primum, qui se habet per modum actionis elicite & receptæ, quomodo nō se habet à parte rei intellectio divina.

Ref. 2. Scientia Dei est perfectissima, continens in se omnes perfectiones scientiæ creatæ, sine ulla imperfectione.

Est etiam universalissima, utpote se extendens ad omnia intelligibilia, eorumque rationes omnes universales & particulares comprehendens.

Ref. 3. Deus seipsum cognoscit, imò & comprehendit; unde cum dicitur, quod se comprehendit, finitum esse sibi, accipiendum est negativè.

Cognoscit etiam Deus omnia possibilis, per scientiam quam vocant simplicis intelligentiæ.

Res possibilis nihil est reale actu; est tamen aliquid reale in potentia.

Satis est quod objectum primum & motivum divini scientiæ existat, etsi non existat secundarium, & purè terminativum.

Ref. 4. Deus per scientiam visionis, cognoscit res omnes existentes in aliqua differentia temporis; ac speciatim contingenter futuras.

Scientia illa Dei quoad entitatem est simpliciter necessaria, at quoad terminationem, non nisi ex hypothesi quod res existant.

Melius

DE DEO, UT UNO. II

Melius est quædam nescire, quàm scire, quando eorum cognitio privat majori bono, vel ad malum inducit.

Ref. 5. Deus cognoscit non entia, & mala; idque per bonitatem formæ, vel actus, quo privant.

Deus non facit ens rationis, etsi videat conceptum quem nos formamus de chimera.

CAP. XI. *Ref. 1.* Deus res intelligit per suam essentiam, tanquam per speciem; & in ipsa, tanquam in objecto prius cognito.

Quamvis Deus videat creaturas in seipso, ut in objecto motivo; illius cognitio tendit usque ad creaturas in seipsis spectatas.

Ref. 2. Futura contingentia absoluta non videntur in essentia divina, ut habet præcisè rationem Omnipotentia, vel Ideæ, neque in solo decreto divino, quo Deus statuit concurrere cum voluntate nostra ad eorum productionem.

Cognitio futuri contingentis, quam Deus habet in decreto præfiniente, si datur, supponit aliam cognitionem ratione priorem.

Ref. 3. Nec possunt hæc futura certò cognosci, in suis causis proximis, sive secundum se spectatis, sive etiam cum omnibus circumstantiis ad agendum prærequisitis.

Licet possit Deus habere majorem probabilitatem effectus sequuturi, ob majorem penetrationem causæ liberæ, non tamen omnimodam certitudinem.

Ref. 4. Ratio videndi futura contingentia non potest sumi ex reali & æterna eorum existentia in æternitate.

Æternitas non mutat naturas rerum, adeoq; non facit ut quod in se non existit, alteri coexistat. Et ut sit simplicissima, sufficit quòd res in ea sint, quando in se existunt.

Ref. 5. Ratio videndi futura contingentia, est ipsamet eorum entitas, & realis præsentia, quam aliquando habitura sunt.

Unde

12 DE DEO, UT UNO.

Unde hæc distingue, Deus videt rem futuram, ut coëxistentem ipsius æternitati, ab æterno, & Deus videt illam ut coëxistentem æternitati, pro tempore quo in se existet: & hoc tantum admittendum est.

CAP. XII. *Ref. 1.* Præscientia Dei rectè cohæret cum rerum futurarum contingentia & libertate.

Sancti eam comparant nostræ præscientiæ futurorum, & memoriæ præteritorum, ac visioni præsentium.

Ref. 2. Scientia Dei est causa rerum; non illa, quæ dicitur visionis, sed ea, quæ vocatur simplicis intelligentiæ.

Scientia Dei est causa rerum: non tantum materialiter & identicè, sed etiam formaliter in ratione scientiæ.

Ref. 3. Deus habet rerum ideas, quæ non sunt res ipsæ factibiles, sed essentia Dei, ut imitabilis.

Quod intellige, de idea objectiva; nam actualis cognitio, formalis idea dici potest.

In Deo variæ sunt ideæ, juxta varios modos quibus essentia divina est imitabilis à creaturis.

Non sunt in Deo ideæ rerum omnium quas cognoscit, sed earum tantum quæ sunt factibiles, ad imitationem exemplaris.

Specialem ideam habent individua, ac ex S. Thoma, entia completa, & accidentia supervenientia.

CAP. XIII. *Ref. 1.* Juxta Scripturam sacram, admittenda est in Deo scientia conditionata.

Decretum prædeterminans, quod tali scientiæ à nonnullis præmittitur, cum vero scripturæ sensu non cohæret.

Ref. 2. Scientia conditionata, ab Augustino, aliisque Patribus apertè supponitur, cum agunt de creatione Angelorum & hominum, & de variis vocationum modis.

Reprehenduntur Semipelagiani ab Augustino, & Prospero, non propter scientiam conditionatam, sed propter illius abusum.

Ref.

Ref. 3. Scientia conditionata est ad mentem S. Thomæ, cum agit de usu gratiæ, de creatione mulieris, &c.

Potest constitui scientia media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis: sicut futurum sub conditione est veluti medium inter absolute futurum, & merè possibile.

Ref. 4. Scientia conditionata rationibus probari potest, ac maximè ex veritate sui objecti.

Non nocet hæc scientia causalitati divinæ, vel efficaciam gratiæ, vel gratuitæ prædestinationi.

Ref. 5. Ea ponenda est in Deo, non modò speculative, sed etiam practice, seu quoad ulum; ita ut Deus ea dirigatur in providentia ad homines spectante.

Ut certitudo decretorum Dei cum libertate concilietur, ad ejusmodi scientiam recurrendum est: nec ad hoc sufficit cognoscere vim mediorem repudiabilem.

CAP. XIV. *Ref. 1.* In Deo est voluntas; quæ non habet rationem potentiæ, vel actus primi, nisi juxta conceptum nostrum.

Appetitus sequitur formam, naturalis naturalem, sensitivus sensitivam, & rationalis rationalem.

Ref. 2. In Deo etiam est appetitus innatus, respectu propriarum perfectionum, & ad se communicandum, tam ad intra, quam ad extra.

Dantur in re aliqua varii appetitus, juxta varios entis gradus quos participat, ut patet in homine.

Ref. 3. Deus vult & amat seipsum, & creaturas, omnes, quatenus his bonitatem suam communicat, juxta cujusque capacitatem.

Ref. 4. Deus non vult malum culpæ, etsi illud permittat: vult tamen malum pœnæ, non per se, sed per accidens.

Malum culpæ non ordinatur ad bonitatem divinam, quin potius illi repugnat, vel ut avertens, vel ut retardans.

Ref. 5. Deus vult quicquid vult, propter suam bonitatem:

nitatem:

nitatem: adeoque objectum formale omnium volitionum divinarum est ipsius bonitas.

Etsi Deus velit omnia propter seipsum, in eo sunt alia virtutes, præter charitatem.

Deus amore amicitia amat hominem propter ipsum, non ultimè, sed ut ipsi bene sit.

Res. 6. Voluntas Dei, etsi realiter unica sit, & simplicissima, dividitur in voluntatem signi, & beneplaciti; antecedentem, & consequentem, conditionatam, & absolutam, efficacem, & inefficacem.

Voluntas beneplaciti est in Deo, & voluntas signi dicit tantum signum aliquod cui non semper respondet in voluntate divina affectus proportionatus, sed alius.

Voluntas generalis quam habet Deus, omnes salvandi, includit istam conditionem, si per ipsos non fiet: non verò istam, nisi per hoc impediretur pulchritudo universi.

CAP. XV. *Res. 1.* In Deo est libertas, consistens, non in indifferentia iudicii, sed in indifferentia ipsius voluntatis potentis eligere hoc, aut illud.

Ridiculum est dicere hominem esse liberum, eò ipso quò iudicat objectum aliquod posse eligi, & nò eligi, etsi non habeat voluntatem indifferentem ad illud eligendum, aut non eligendum.

Res. 2. Deus à sua scientia non determinatur, quoad exercitium, ut hoc, vel illud velit, aut non velit: sed manente eadem scientia, necessaria ad aliquid agendum, potest illud non agere.

Indifferentia brutorum non sufficit ad libertatem, quia moventur per iudicium determinatum ad unum.

Illud, Errant qui operantur malum, intelligi debet, vel de defectu considerationis, vel de errore morum.

Res. 3. Deus seipsum amat necessariò, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium.

Amat

DE DEO, UT UNO. 15

Amat etiam creaturas possibles necessariò utroque amore, sicut necessariò easdem intelligit.

Non potest Deus seipsum comprehensivè cognoscere, & amare, quin possibilia cognoscat, & affectu saltem complacentiè diligat.

Deus creaturas existentes amat liberè, nec agit ad extra ex necessitate naturæ.

Voluntas Dei libera est omnino immutabilis. Illud porrò, pœnitet me fecisse hominem, intelligi debet quoad effectum, non quoad affectum.

Ref. 4. Libera volitio Dei non est denominatio extrinseca aut respectu rationis, neque perfectio realiter distincta ab essentia divina, sed ipsa volitio necessaria, qua Deus amat seipsum: quatenus ita terminatur ad creaturas, ut posset ad eas non terminari.

Volitio Dei est simpliciter infinita, ita ut æquivalet infinitis volitionibus, & nolitionibus realiter distinctis.

Indifferentia divinæ libertatis non est in ordine ad actus internos, sicut nostra, sed in ordine ad objecta externa.

Effectus formalis volitionis divinæ est, necessariò facere ut Deus amet omnia volibilia, non tamen ut ea amet necessariò.

CAP. XVI. *Ref. 1.* Voluntas & intellectus Dei, concurrunt ad opus immediatè, illa, quoad applicationem, & exercitium, hic, quoad directionem, & veluti specificationem.

Potentia exequens in Deo ratione distinguitur ab intellectu, & voluntate; estque ipsamet essentia divina.

In Deo vera est omnipotentia, qua potest facere quicquid absolutè non implicat contradictionem.

Potuit Deus producere species nobiliores productis, & productas meliores facere quoad accidentia. Non tamen potuit aliquid producere melius unione hypostatica, beatitudine sanctorum, & maternitate Virginis Deiparæ.

Ref. 2.

Ref. 2. Nulla potest dari causa propria divinæ volitionis, siue efficiētis, siue finalis: potest tamen dari impropria seu virtualis.

Imò, una res creata potest ipsi esse aliquo modo proxima ratio volendi aliam.

In eo agendi modo nulla est imperfectio, quæ supremam Dei independentiam, & dignitatem de- deat.

Ref. 3. Deus non necessitat voluntatem nostram ad agendum, sed relinquit eam in manu consilii sui.

Non potest dici à viro Catholico, gratiam efficacem nobis imponere necessitatem agendi.

Ref. 4. Absolutè loquendo, & nulla suppositione facta, nullus esset in rebus effectus contingens, seu liber, si Deus ageret ex necessitate naturæ.

Essent tamen effectus contingentes, & liberi, si Deus causis contingentibus, ex necessitate naturæ offerret concursum, quem nunc eis liberè exhibet.

Vera radix contingentia actuum nostrorum, ad summam efficaciam divinæ voluntatis, ultimè reduci debet.

CAP. XVIII. *Ref. 1.* In Deo est amor, & desiderium, hoc quidem, non respectu boni proprii, sed respectu alieni.

In Deo est gaudium, seu delectatio de bono proprio, & de alieno, ut præ sente.

In Deo est odium peccatoris, ut sic, non quidem inimicitia, sed abominationis.

In Deo non est spes, nec desperatio, nec tristitia, nec audacia, neque ira propriè dicta, ut supponit dolorem, seu tristitiam cuius vicem rependat.

Ref. 2. Deus creaturas racionales diligit vero amore amicitia. Unde homo per justificationem fit ex inimico amicus, nimirum Dei, qui vicissim fit illius amicus.

Inter superiores, & inferiores potest esse amicitia, quam vocant supereminentia.

Deus non amat creaturas irracionales amore amicitia.

amicitiæ, sed aliquo modo amore concupiscentiæ, quatenus ipsius attributa manifestant, & hominibus sunt utiles.

Ref. 3. Deus magis diligit meliora; unde magis Christum, ut hominem, amat, quam totam universitatem creaturarum.

An Deus magis Petrum, quam Joannem dilexerit, certò affirmari non potest.

Innocens magis à Deo diligitur, quam pœnitens, si cætera sint paria.

Prædestinatus absolutè magis à Deo diligitur, quam præscitus, quantumvis justus.

Ref. 4. In Deo est justitia propriè & strictè sumpta, prout est specialis virtus ab aliis distincta.

Deus non amittit dominium radicale quod habet in homines, etsi supposito pacto dandi illis gloriam, non possit eos destruere.

Inter patrem & filium potest vera esse justitia, si ille speciale bonorum dominium huic concedat.

Licet Deus nequeat propriè constitui debitor erga homines; bona tamen illius iis deberi possunt.

Ref. 5. In Deo est misericordia, non quidem secundum affectum, sed secundum effectum.

Conferre rebus perfectionem spectat ad bonitatem, justitiam, liberalitatem, & misericordiam, sed sub diversa ratione.

In quolibet opere Dei misericordia, & veritas, seu justitia, latè sumptæ reperiuntur.

Quædam tamen opera tribuuntur misericordiæ, quædam justitiæ; quia in nonnullis misericordia, in aliis justitia magis elucet.

CAP. XVIII. *Ref. 1.* In Deo est providentia, non respectu proprii actus, sed prout est ordinativa aliorum in finem.

Providentia præter actum intellectus, includit actum voluntatis, nimirum curam aliquam, & studium rerum gerendarum.

Providentia, ut spectat ad intellectum, non debet
b
constitui

constitui in actu imperii, sed in scientia naturali, qua Deus videt quomodo qualibet res finem suum assequi possit.

Res. 2. In Deo est providentia rerum omnium, quantumvis vilium, & exigui momenti.

Nullus eventus est casualis, seu fortuitus, respectu divinæ providentiæ.

Mala culpæ tam formaliter, quàm materialiter spectata, sub divinam providentiam cadunt.

Res. 3. Deus immediatè rebus omnibus providet, quantum ad rationem ordinis, licèt non quoad executionem.

Quod non debet ita intelligi, ut ipse Deus per se non exequatur ordinem à sua providentia præstitutum, sed ita ut eum non exequatur nisi cum causis secundis.

Res. 4. Providentia divina quibusdam rebus necessitatem imponit, non tamen omnibus.

Providentia divina non semper assequitur, finem particularem, ad quem res ordinat. Nec tamen propterea in sui dispositione fallitur.

Licèt aliquid recedere videatur à providentia divina secundum unum ordinem; in eum relabitur secundum alium.

Res. 5. Providentia divina non prædeterminat voluntatem nostram, ad actus liberos.

De ratione libertatis est, ut in sensu composito cum omnibus ad agendum prærequisitis, possit agere, vel non agere.

Ex verbis præfiniendi, applicandi, impellendi, & similibus, prædeterminatio physica colligi non debet.

Res. 6. Nullo modo admittendum est, quòd Deus voluntatem nostram physicè prædeterminet ad actus malos.

Si Deus nos physicè prædeterminaret ad actum malum, tolleretur gratia sufficiens, Deus vellet peccatum, essetque causa illius.

Deus

Deus utitur pravis hominibus ad alios affligendos, permissivè, quatenus illos non impedit, nec istos efficaciter juvat.

Omne ens per participationem, reducendum ad ens per essentiam, non tamen eodem modo.

CAP. XIX. *Ref. 1.* In Deo de facto admittenda est aliquorum prædestinatio.

Prædestinatio non tollit libertatem, etsi eâ positâ, necesse sit hominem salvari.

Ref. 2. Prædestinatio est decretum absolutum, quo Deus ab æterno aliquos elegit, ad vitam æternam per media proportionata infallibiliter consequendam.

Unde ad prædestinationem requiruntur actus intellectus, & voluntatis: ipsaque prædestinatio simpliciter est libera.

Providentiæ materia latiùs patet quàm prædestinationis; at prædestinatio suum finem particularem in quolibet prædestinato infallibiliter obtinet.

Ref. 3. Pelagius malè sensit de gratia, & de prædestinatione, omnia tribuens libero arbitrio.

Neque unquam pristinum errorem retractavit, etsi interdum verbis magnificis gratiam commendaverit.

Semipelagiani initium salutis tribuebant libero arbitrio; adeoque gratiam prævenientem destruebant, licèt non adjuvantem.

Ref. 4. Ex parte prædestinati, non datur causa prædestinationis ad primam gratiam.

Non potest homo naturæ viribus, mereri primam gratiam de congruo, etsi peccator gratiam justificantem quam meretur de congruo, gratis recipiat.

Sententia quæ refert primæ gratiæ collationem, in bonum usum ejusdem gratiæ prævisum, nihil habet commune cum errore Semipelagianorum.

CAP. XX. *Ref. 1.* Electio efficax ad gloriam, facta

est antecedenter ad absolutam prævisionem meritorum; adeoque est merè gratuita.

Qui ordinatè vult, prius vult finem, quàm medià ad finem.

Sententia de gratuita electione, respectu prædestinatorum longè est favorabilior; & respectu reprobatorum non est durior, quàm opposita.

Non est opus, in ea sententia, ponere in Deo duplicem voluntatem efficacem respectu gloriæ, aliam antecedentem merita, aliam consequentem.

Eadem Dei voluntas est gratuita, & remunerativa, diverso respectu.

Electus potest absolutè damnari; & non electus, salvari.

Ref. 2. Gloriâ æterna, vocatio, justificatio, peccatorum permissio, & bona prædestinati in dolo sunt effectus prædestinationis.

Vult Deus permissionem peccati, ratione pœnitentiæ, nec tamen propterea vult peccatum.

Ref. 3. Prædestinatio certissimè, & infallibiliter consequitur suum effectum, non tamen imponit necessitatem agendi.

Certitudo prædestinationis rectè conciliatur cum libertate, beneficio scientiæ mediæ.

Eâ scientiâ præsuppositâ, potest Deus certò præfinire mensuram gloriæ, tribuendam prædestinato.

Ref. 4. Liber vitæ ponitur in Deo metaphoricè, nempe secundùm similitudinem à rebus humanis acceptam.

Liber vitæ respicit tantùm vitam gloriæ prædestinatorum, non autem eorum gratiam.

Non possunt deleri de libro vitæ, qui in eo sunt scripti simpliciter.

Ref. 5. Probabilius est, reprobationem hominum negativam non fuisse constitutam, nisi ob peccatum originale prævisum.

Etsi tale peccatum fuerit simpliciter causa reprobationis negativæ aliquorum, non tamen cur potius hic quam ille reprobatus fuerit. *Ref.*

DE DEO, UT UNO. 21

Ref. 6. Deus neminem positivè reprobatur, ante prævisum illius peccatum.

Quod debet intelligi de peccato finali, saltem ut plurimum.

Deus non permittit peccata reprobatorum, ex intentione eos puniendi sed ob alios fines.

Ref. 7. Peccatum reprobi non est effectus reprobationis, permissio tamen peccati finalis est effectus reprobationis negativæ.

Quod ita intellige, ut peccatum reprobi, sive quoad materiale, sive quoad formale, sive sub ratione pœnæ non causetur à reprobatione.

Interdum tamen permissio finalis peccati est effectus reprobationis positivæ, ut contigit in reprobatione Dathan, & Abiron.

Ref. 8. Creatio reprobi non est effectus suæ reprobationis positivæ: id est, Deus non creavit reprobum, ut eum damnaret.

Neque hoc debet colligi ex voluntate; quam Deus habuit ostendendi suam misericordiam in prædestinatos.

Ref. 9. Bona reprobo concessa non sunt reprobationis effectus, esto bona prædestinatis concessa sine effectus prædestinationis ipsorum.

Deus tribuit bona prædestinatis, ut salventur; at non tribuit bona reprobis, eo sine ut damnentur.

Ref. 10. Inflictio pœnæ æternæ est probus, imò unicus effectus reprobationis positivæ. Quod intellige de lege ordinaria.

LIBER II.

DE DEO, UT TRINO.

CAP. I. **P**ONenda est in Deo vera aliqua processio, qua una persona ab alia procedat.

Ref. 1. Processiones divinæ illustrantur similitudine sumpta ab intellectu, & voluntate creata.

Filius dicitur Autotheos, quia non est precario Deus, & Jehova, seu fons essendi, quia habet eandem essentiam Patris, à qua omnia ut à fonte procedunt.

Non est perfectius esse à se, quàm esse ab alio, quoad naturam indistincto.

Res. 2. Processiones divinæ non sunt immediatè per essentiam divinam, ut essentia est, sed per intellectum & voluntatem.

Intellectio divina non est productio, ut est nuda objecti cognitio, sed ut habet adjunctam relationem producentis ad productum, quomodo est in solo Patre.

Res. 3. In Deo ponendæ sunt duæ processiones, nò plures, sicut in eo sunt tantum duo procedentes.

Etsi intellectus, & voluntas in Deo non distinguantur realiter, ab iis termini realiter distincti procedere possunt.

Non potest sumi tertia processio ab omnipotentia divina ut condistinguitur à potentia notionali.

Filius non producit verbum, etsi intelligat; producit tamen Spiritum sanctum simul cum Patre.

Res. 4. Processio Verbi divini est vera generatio. Cujus ratio non est, quia eandem naturam potest alteri communicare, nec quia actualis intellectio est de formalissimo conceptu Dei.

Probabilior ergo hujus rei ratio est, quia Verbum formaliter ex vi suæ processions procedit ut simile in natura producenti.

Quod procedit per intellectum divinum, non se habet ut imago accidentalis, sed ut substantialis, & per se subsistens.

Res. 5. Processio Spiritus Sancti non est vera generatio: cujus ratio non est, quia non procedit à duobus, tanquam à patre & matre, nec quod ex vi processions, non communicetur illi natura divina, ut putant aliqui.

Itaque veritatis hujus probabilior ratio est, quia
quod

quod procedit per voluntatem, ut sic, non procedit ut simile producenti.

Unde Spiritus S. non procedit similis formaliter vi suæ processions, ut est à voluntate divina, tanquam à principio, sed materialiter seu identicè.

Spiritus S. non habet per accidens, ut procedat similis in natura, nec per se ut procedit per voluntatem divinam, sed per se quatenus procedit in natura divina.

CAP. II. *Ref. 1.* In Deo ponendæ sunt relationes reales, nempe principii producentis ad terminum productum, & termini producti ad principium produciens: esto ratio rationis ex cognitione resultet in objecto cognito.

Relatio divina non supponit subjectum cui inexistat, aut fundamentum à quo pendeat, aut distinctionem extremorum, quæ per illam referuntur.

Expositione relationum in Deo non debet colligi unam personam pendere ab alia, sed tantum unam inferre aliam, seu una posita aliam poni.

Pater realiter refertur ad Filium, & non Deus ad creaturas, etsi sit earum principium.

Ref. 2. In Deo sunt quatuor relationes reales, nempe paternitas, filiatio, spiratio activa, & passiva: non tamen quatuor res.

Pronunciatum illud, multiplicato inferiori multiplicatur superius, admittitur quando inferius multiplicatur ratione alicujus intrinseci.

In Deo non sunt plures relationes reales, quàm assignatæ.

Identitas, æqualitas, & similitudo sunt in Deo relationes rationis.

Relationes divinæ distinguuntur inter se realiter, paternitas à filiatione, & spiratio activa, & passiva.

Ref. 3. Spiratio activa nō distinguitur realiter à paternitate aut filiatione, juxta illud, in divinis omnia sunt unum, nisi ubi obviat oppositio relativa.

Ea tamen propositio, paternitas est spiratio activa, communiter negatur, ob periculum confundendi earum terminos.

Etsi paternitas & filiatio sint idem cum spiratione activa, non sequitur quod sint idem inter se.

Res. 4. Relationes divinæ non distinguuntur actu ab essentia, imò videntur esse de quidditate illius: sicut vice versa essentia divina est, de quidditate relationum.

Res. 5. Relationes divinæ sub proprio, & formali conceptu relationum, dicunt perfectionem.

Neque propterea dici potest, aliquam perfectionem esse in una persona, quæ non sit in aliis.

Relationes præcisè spectatæ dicunt tantum perfectionem infinitam in suo genere, at ut sunt à parte rei, simpliciter infinitam.

CAP. III. *Res. 1.* Ratio personæ, eaque realis & positiva ponenda est in Deo. Est autem persona, rationalis naturæ individua substantia; seu substantia intellectualis, completa singularis, & per se subsistens.

Reprehenditur Laurentius Valla, quòd dixerit, nomen personæ non significare substantiam, sed qualitatem.

Etsi una persona non possit amplius personari, substantia tamen quæ una personalitate affecta est, potest adhuc alia personalitate affici.

Persona in divinis à parte rei constituitur per relationem, etsi nobis personam concipientibus objiciatur aliquid absolutum.

Res. 2. In Deo ponendæ sunt tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Hæc personarum Trinitas non potest ab intellectu creato, sibi relicto, evidenter, aut probabiliter cognosci.

Personæ divinæ possunt dici tria individua largo modo: sicut ipsa natura divina, ut communis tribus personis, habet aliquam similitudinem cum specie.

DE DEO, UT TRINO. 25

Natura divina propter suam infinitatem est in tribus personis: sicut in creatis eadem natura specifica est in pluribus individuis.

Ref. 3. In Deo ponendæ sunt tres subsistentiæ relativæ, non autem aliqua absoluta, & communis tribus personis.

Augustinus cum ait Deum ad se subsistere, agit de subsistentia, ut est modus per se existendi, independenter à subjecto sustentante.

Hieronymus jubet, ut taceantur tres hypostases, in sensu Arianorum, id est, tres essentiæ.

Pater non communicat Filio substantiam completam, ut sic; nec incompletam; sed quæ completa est.

Ref. 4. In Deo est unica existentia absoluta, per quã Deitas ut concipitur prior relationibus, existit, & tres relativæ, per quas personæ existunt.

Non est absurdum ponere in Deo tres æternitates relativas: etsi tres personæ, ut sunt unus Deus, non sint tres æterni, sed unus æternus ut ait Athanasius.

Si in Deo una tantum esset persona, ea non existeret, nisi per existentiam absolutam.

Ref. 5. Ponendæ sunt in Deo quædam proprietates, quibus personæ constituentur, & ab invicem distinguantur; quæquæ sint relativæ, non absolutæ.

Relatio divina non tantum est ratio referendi, aut terminandi, sed etiam est id quod refertur, & terminat.

Prima persona Trinitatis constituitur per Paternitatem, ut habet rationem subsistentiæ, non autem ut est merus respectus Patris, ad Filium jam productum.

Ref. 6. Spiratio activa, non potest unam personam constituere: adeoque sunt tantum in Deo tres proprietates personales, nimirum paternitas, filiatio, & spiratio passiva.

Spiratio tamen activa spectat ad constitutionem intrinsecam Patris, & Filii, non vero actualis spiratio,

quæ personis completè constitutis veluti advenit.

Personæ divinæ non constituuntur formaliter per origines, seu per relationes spectatas per modum viæ, & in fieri, sed per modum formæ permanentis, & in facto esse.

Res habens duas formalitates, non constituitur per priorem, si hæc non habet conditiones ad constitutionem necessarias.

CAP. IV. *Ref. 1.* Primæ personæ Trinitatis propriè competit nomen principii, tam ad intra, quam ad extra.

Pater est principium ad intra notionaliter, & sine causalitate; ad extra verò essentialiter, & cum causalitate.

Patres Græci dicunt Patrem esse causam Filii, sumendo causam latè, pro principio.

Non debet dici absolute, quòd Filius, & Spiritus S. sint principiati, sed ille à Patre, hic ab utroque.

Ratio principii non dicitur univocè de notionali, & essentiali, & quamvis Pater dicatur principium totius creaturæ, non tamen propriè totius Deitatis.

Ref. 2. Nomen Patris propriè convenit primæ personæ Trinitatis: idque ut proprium distinguitur à communi, & à metaphorico.

Imò longè nobiliori modo, quàm Patri humano respectu sui Filii.

Deus dicitur pater creaturarum metaphoricè, cum aliqua tamen latitudine: ita scilicet ut quò aliqua est Deo similior, eò magis propriè Deus illius pater dicitur.

Nomen patris sumptum notionaliter, tribus modis Deo prius competit, quàm sumptum essentialiter. Nempe prioritate perfectionis, rationis, & durationis.

Ref. 3. Nomen ingeniti soli Patri competit, ut accipitur pro non procedente ab alio, quovis modo.

Patres negantes Patrem esse ingenitum, sumunt ingenitum pro non facto, in sensu Arianorum.

Ratæ

Ratio ingenti dicit formaliter negationem processionis ab alio, etiam possibilis, huiusque negationis fundamentum est paternitas.

Ratio Filii propriè convenit alicui personæ divinæ, id què ab æterno.

CAP. V. *Ref. 1.* Verbum est nomen personale proprium Filii, etsi interdum sumatur essentialiter, ut cum quæritur, quidnam Beati videant in Verbo. Interdum etiam Spiritus S. dicitur Verbum Filii.

Etsi intellectio in Deo sit essentialis, Verbum tamen est notionale, quia significat terminum productum, & à producente distinctum.

Verbum dicit respectum aliquem rationis tam ad tres personas, quàm ad creaturas; quatenus est expressa similitudo eorum omnium, quæ à Patre intelliguntur.

Ref. 2. Verbum divinum procedit ex cognitione divinæ essentiæ, omniumque personarum divinarum.

Hinc tamen non sequitur, Verbum esse simpliciter prius, & posterius seipso; aut procedere à seipso, vel esse imaginem sui ipsius, aut Spiritus Sancti.

Terminus intellectiois non procedit per omne objectum intellectus, sed tantum per illud quod unitur intellectui per modum principii activi.

Ref. 3. Verbum divinum procedit formaliter ex cognitione omnium creaturarum possibilium.

Quod tamen non impedit, quin Verbum divinum prius sit à parte rei rebus possibilibus, esto secundum nostrum conceptum sit illiis posterius.

Si nulla creatura esset possibilis, Verbum non esset ejusdem rationis, saltem adæquatè, ac nunc est.

Ref. 4. Verbum divinum non procedit ex cognitione creaturarum existentium,

Ut Deus se comprehendat, non requiritur absolute quòd cognoscat aliqua futura, sed tantum ex hypothese, quod futura sint.

Verbum non repræsented futura actu, & formaliter ex vi suæ processionis, sed tantum remote, &

veluti radicaliter, quatenus recipit scientiam ex se infinite repræsentativam.

Verbum non procedit ex cognitione futurorum sub conditione, etsi talis cognitio antecedit quodcumque decretum actuale in Deo.

CAP. VI. *Res. 1.* Spiritus S. non solum à Patre, sed etiam à Filio procedit.

In Concilio Nicæno 2. Symbolum Nicænum fuit approbatum, lectumque hoc modo. qui ex Patre, Filioque procedit.

Et in Concilio Lugdunensi sub Gregor. X. cantatum est ter Græcè, & ter Latine cum eadem declaratione.

Si Spiritus S. à Filio non procederet, ab eo realiter non distingueretur, defectu oppositionis relativæ.

Leo III. curavit poni Symbolum prædictum in tabula argentea, sine illo addicamento, Filioque, in memoriam venerandæ antiquitatis.

Explicantur Patres Græci qui dicunt, Spiritum S. esse ex Patre per Filium, ut tantum velint, Filium habere virtutem spirativam à Patre.

Res. 2. Spiritus S. procedit à Patre, & Filio tanquam ab uno principio, propter unicam potentiam spirativam quæ est in utroque.

Etsi Pater, & Filius non possint dici duo spiratores, dicuntur tamen duo spirantes.

Non potest dici, quod Pater, quatenus generat Filium, & spirat Spiritum S. sit duo principia.

Imo Pater generans, & Filius spirans, non sunt duo principia, sed unicæ, licet distincta sint supposita.

Quando dicimus, unum principium Spiritus Sancti, inponitur pro formali virtute spirativa, & pro materiali, suppositum habens talem virtutem; sive sit unum, sive multiplex.

Spiritus S. procedit à Patre, & Filio, tanquam à duobus suppositis.

Unde Pater, ut Pater, & Filius, ut Filius specificativè, non autem reduplicativè, producent Spiritum S.

Nec

DE DEO, UT TRINO. 29

Nec Pater spirat prius origine, quàm Filius, etsi virtus spirativa, & actualis spiratio sit prius origine in illo.

Ref. 3. Quamvis Pater, & Filius sint Spiritus, & uterque sit sanctus, tertia tamen Trinitatis persona convenienter Spiritus S. nominatur.

Nomen etiam amoris, secundum quod personaliter dicitur, est proprium Spiritus S. licet quatenus dicitur essentialiter tribus personis competat.

Tria sunt in qualibet processione consideranda. habitudo ad objectum, habitudo ad terminum, & terminus. Verùm quæ spectant ad intellectionem habent propria nomina, non quæ ad volitionem.

Ref. 4. Si diligere, accipiatur notionaliter, dici potest Patrem, & Filium se diligere Spiritu S. nempe tanquam termino dilectionis notionalis, qua se formaliter diligunt.

Eodem sensu dici potest, Patrem se intelligere Verbo, etsi Verbum non sit medium, quo Pater se, & alia intelligit.

Falsa tamen est propositio illa, Pater est sapiens, sapientiâ genitâ, scilicet tanquam forma immanente, & veluti habituali.

Ref. 5. Donum, secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus S. Porrò donum est datio irredibilis, seu res alicujus, qui eam alteri liberaliter confert, aut conferre potest.

Deus totaque Trinitas respectu hominum dici potest donum dantis per identitatem. At Filius, & Spiritus S. sunt donum, ut sunt alterius dantis per originem. Ita tamen, ut Spiritus S. detur, ratione suæ processionis, & Filius ex amore Patris.

CAP. VII. *Ref. 1.* Ponendæ sunt in Deo notiones aliquæ, seu conceptus objectivi, aut formæ, quibus personæ divinæ inter se distinctæ cognoscantur.

Ejusmodi notiones sunt quinque, nimirum innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, & passiva, nec necesse est, inter notiones numerari

inspirabilitatem Filii, aut infœcunditatem Spiritus S.

Ref. 2. Ponendi sunt in Deo quidam actus notionales, seu propria quædam unius, vel duarum personarum actiones quibus persona aliqua produci-
tur.

Actus notionales à relationibus, quibus constituuntur personæ, virtualiter distinguuntur: v. c. generatio activa, à paternitate; passiva, à filiatione, &c.

Nec repugnat; quòd actio ponatur in Deo, detra-
ctis imperfectionibus, sicut & relatio.

Actus notionales ponendi sunt in ipsis personis producentibus, nempe dictio seu intellectio notionalis in Patre, & volitio notionalis in Patre, & Filio.

Ref. 3. Actus notionales sunt aliquo sensu voluntarii, voluntate concomitante, quatenus Deus amat productiones personarum, per simplicem complacentiam essentialem omnibus personis communem.

Non tamen actus illi sunt liberi, sed simpliciter necessarii: nec sunt de nihilo, sed de aliquo, nimirum de ipsa substantia personæ producentis.

Quo loquendi modo denotatur principium internum personæ productæ, non quasi materiale, sed quasi formale, quo constituitur in ratione Dei.

Ref. 4. In Deo est vera, & positiva potentia productiva notionalis, nempe potentia generandi, & spirandi.

Sola persona producens est principium quod productionis: at divina essentia, intellectus, & voluntas à ipsaque relatio sunt principium quo.

Si productio sumatur in Deo, ut est communicatio, sic essentia divina est terminus illius; si verò, ut productio, ea ut sic videtur terminari ad relationem.

CAP. VIII. *Ref. 5.* Inter personas divinas est perfecta æqualitas, fundata in essentia infinite perfecta, quæ in omnibus eadem est. Quæ

DE DEO, UT TRINO. 31

Quæ in scriptura faciunt Filium inferiorem Patre, intelliguntur ut plurimum de Filio, ut homine; quòd si de illo etiam ut Deo accipiuntur, nihil aliud quàm prioritatem originis in Patre denotant.

In Deo non habet locum prioritas durationis, aut naturæ, sed sola prioritas originis. Interdum tamen ordo originis vocatur ordo naturæ, quia una persona naturaliter est ab alia.

Pater genuit Filium existentem, non quidem antequàm generaretur, sed virtute ipsius generationis.

Quælibet persona divina dicitur esse, in aliis per circum-*in*sessionem, quatenus omnes habent eandem essentiam, à qua separari nequeunt.

Ref. 2. Etsi missio quæ fit per imperium, aut per consilium dicat imperfectionem in persona missa, non tamen quæ fit per originem, cum ordine ad quemdam effectum temporalem.

Una persona divina non potest mitti nisi ab ea à qua procedit; unde Pater potest mittere Filium, & Spiritum S. ipse verò à nemine mitti potest.

Ref. 3. Duplex est missio, alia visibilis, alia invisibilis, visibilis est, quando persona missa, per signum aliquod sensibile novo modo exterius apparet; invisibilis autem, quando effectum aliquem occultum supernaturalem producit.

In missione invisibili, non tantùm dona gratiæ, sed ipsæ etiam personæ divinæ dicuntur mitti: quatenus realiter se exhiberent præsentem animæ, si per impossibile in ea non essent.

Missio invisibilis fit ad omnes participes gratiæ, non modò quando gratiam primam sanctificantem recipiunt, sed etiam dum extraordinariè ad novum aliquem actum, vel statum illius elevantur.

DE VERBO INCARNATO.

CAP. IX. *Ref. 1.* **M**ysterium Incarnationis est possibile, seu fieri potest ut Verbum, divinum naturam humanam in unitatem personæ sibi copulet.

Cum Verbum non fiat homo essentialiter, sed terminativè, seu hypostaticè, id sine mutatione in ipso Verbo facta intelligi potest.

Potest etiam exemplo unionis, quæ est inter animam & corpus intelligi nexus inter Verbum & humanitatem, qui hanc solam afficiat.

Ref. 2. Non possumus evidenter lumine naturali cognoscere, Incarnationem, eo modo quo peracta est, esse possibilem.

Sybilla, etsi foemine gentiles, hoc mysterium agnoverunt ex speciali relatione.

Ref. 3. Incarnationem de facto peractam esse fides catholica docet contra Judæos, qui frustra de primo Christi adventu accipiunt, quæ tantum de secundo intelliguntur.

Ref. 4. Incarnatio fuit per se Deo valdè conveniens, & naturæ humanæ: fuit etiam medium valdè congruum ad redimendos homines, convenientique tempore peracta fuit.

CAP. X. *Ref. 1.* Non fuit necessaria Incarnatio, ex hypothesi creationis mundi, vel peccati, vel redemptionis ab illo, etiam ex rigore justitiæ, sed ut redemptio hominum fieret convenientiori modo.

Nulla potest reperiri in operibus Dei indecentia positiva, potest tamen negativa, ita ut non habeant omnem perfectionem possibilem.

Si Verbum assumpsisset naturam angelicam, potuisset in ea pro peccatis hominum perfectè satisfacere per actus amoris, aliosque similes.

Per Incarnationem fides nostra certior redditur, spes magis erigitur, charitas magis accenditur, quam si Verbum assumpsisset naturam Angelicam.

Ref. 2. Ope-

DE VERBO INCARNATO. 33

Ref. 2. Opera Christi habebant valorem sufficientem, imò infinitum ad satisfaciendum pro peccatis hominum, quoad culpam, & pœnam.

Quod ita intellige, ut ejusmodi valor operibus Christi ex se, ut procedebant à Verbo, compereret, & non solum ex acceptatione divina.

Ref. 3. Valor infinitus operum Christi non petitur tantum à Verbo, ut erat forma sanctificans humanitatem, sed etiam, & maximè quatenus erat suppositum eam sustentans, & per illam operans.

Deus hominibus in gratia inæqualibus, propter idem opus, tribuens præmium inæquale, dicitur unicuique tribuere secundum opera ejus.

Ref. 4. Satisfactio Christi fuit ex vera, & rigorosa justitia, ita ut esset æqualis, ad alterum, ex propriis, & ex aliis indebitis.

Et si absolute satisfactio debeat fieri à persona, que offendit; potest tamen creditor acceptare satisfactionem ab alio oblatam.

Ref. 5. Non potuit purus homo condignè satisfacere pro peccatis hominum, et si peccati malitia simpliciter sit finita.

Et si reperiatur proportio inter opus justii, & gratiam; non tamen inter illius satisfactionem, & injuriam.

Ref. 6. Non potest homo satisfacere ad æqualitatem pro peccato mortali proprio, in quo versatur.

Ille non censetur satisfacere ex perfecta justitia, qui solvit quantum potest, sed non quantum debet.

CAP. XI. *Ref. 1.* Christi humanitas non est producta formaliter per ipsam Incarnationem.

Eodem tamen instanti temporis, humanitas fuit producta, & Verbo unita: sicquè Virgo mater Christi, seu hominis Dei facta est.

Anima rationalis prius natura existit, quàm subsistat: creatio verò dicitur subsistentium, non formaliter, sed consecutivè.

Ref. 2. Hu-

Ref. 2. Humanitas Christi non existit per existentiam Verbi, sed per existentiam propriam.

Etsi in Christo non sit nisi unum esse existentiae totale, & completum: in eo tamen sunt plures existentiae partiales.

Ref. 3. Unio hypostatica non est facta in natura, ita scilicet ut ex unione Verbi cum humanitate, una quaedam natura resultaverit.

Sicut corpus, & anima constituunt unum hominem; ita divinitas, & humanitas unum Christum, non tamen unam naturam.

Ref. 4. Unio Verbi cum humanitate facta est in persona, & in supposito: eo sensu, ut post unionem una tantum sit persona in Christo, unumque suppositum.

Persona, & hypostasis, seu subsistentia non distinguuntur conceptu intrinseco, sed tantum connotato.

In Christo est aliud & aliud, propter distinctionem naturarum; non autem in Trinitate, ex ratione opposita.

Ref. 5. Aliquo sensu admitti potest, personam Christi post unionem esse compositam: etsi non coalescat ex partibus, vel ex actu & potentia.

Christus est sua componentia collectivè, non autem divisivè.

Terminus principalis, seu adequatus Incarnationis est Christus, quatenus est una persona subsistens in duabus naturis: terminus formalis, qui, humanitas ut Verbo unita; terminus formalis quo, ipsa unio.

Ref. 6. Per Incarnationem activè sumptam aliquid producitur in humanitate, per quod ipsa Verbo unitur.

Illud autem non est qualitas, aut influxus activus, vel mera relatio, sed modus quidam substantialis, qui unio appellatur.

Patres qui dicunt, humanitatem immediatè Verbo uniri,

DE VERBO INCARNATO. 35

uniri, non excludunt medium nexum, sed medium terminum.

Non mirum est, quod substantia creata uniatur suæ naturæ sine ullo modo intermedio, cum ipsa sit modus.

Ref. 7. Unio hypostatica est substantialis, potestque dici omnium maxima, tam in ratione unionis, quam in ratione doni.

Licet essentialis, & substantiale, naturale, & reale pro eodem interdum sumantur, unio ista non est vocanda essentialis, aut naturalis.

Unio animæ rationalis cum corpore, est major extensivè unione hypostatica; hæc verò est illa major intensivè.

CAP. XII. *Ref. 1.* Inter personas divinas solum Verbum est incarnatum. Cujus rei variæ afferuntur congruentiæ, à Concionatoribus observandæ.

Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, quoad influxum activum, non quoad rationem terminandi.

Pater, & Spiritus S. existunt modo speciali in natura humana, etsi propriè ei non sint uniti.

Sunt per concomitantiam immediatè in humanitate Christi connaturaliter existente; mediatè verò in eadem ut existente in Eucharistia.

Ref. 2. Verbum divinum terminavit naturam humanam ratione alicujus relativi, non absoluti.

Humanitas est unita Verbo, & naturæ divinæ; per eandem unionem, ad illud primariò, ad hanc secundariò terminatam.

Ref. 3. Verbum assumpsit veram animam rationalem, verum etiam corpus ex carne, & ossibus constans.

Verbum potest corpus vivificare in genere causæ efficientis, non in ratione formæ.

Verbum quoque assumpsit totum sanguinem; itemque rorem, & cambium (quibus verbis sanguis purior, & defacatior intelligitur) aliosque humores.

In

Ref. 4. In assumptione humanitatis nulla intercessit temporis duratio; sed eodem instanti, quo producta est, fuit quoad suas omnes partes unita Verbo.

Ordine intentionis natura humana prius assumpta fuit, quàm partes illius: ordine tamen executionis prius assumptæ sunt partes, quàm humanitas.

Anima rationalis prius ordine intentionis fuit à Verbo assumpta, quàm caro; & posterius ordine executionis.

CAP. XIII. *Ref. 1.* Natura angelica potuit à Verbo hypostaticè assumi; etsi ea non distinguatur nisi modaliter à suo supposito.

Potuit etiam natura irrationalis v. g. aquilæ, aut leonis à Verbo assumi in unitatem suppositi; etsi talis natura non possit videre Deum.

Ref. 2. Verbum divinum potuit simul duas naturas assumere v. c. duas humanitates, aut humanitatem cum natura Angelica.

Si Verbum assumeret duas humanitates, non propterea diceretur duo homines, sed unus cum duplici humanitate.

Et quod tunc illi conveniret per se secundum unam humanitatem, non illi competeret, nisi per accidens, secundum aliam.

Probabile est, plures personas divinas posse eandem simul naturam assumere: esto non possit natura propriam habens substantiam, terminari simul aliena.

Ref. 3. Abstractis per intellectum personalitatibus, natura divina non potest assumere humanitatem.

Si esset in Deo substantia communis, posset natura humana per eam subsistere, non tamen constitui in ratione personæ.

In ea hypothesi esset hic homo subsistens, qui tamen ut sic, non esset persona: quamvis à parte rei esset tres personæ.

Ref. 4. Non

Ref. 4. Non potest hypostaticè assumi natura habens propriam substantiam, eamque retinens.

Non tamen est simile, quòd natura divina habet tres substantias proprias, quibus est in se.

Ref. 5. Materia, & forma substantialis corporea seorsim à persona divina assumi possunt: esto non habeant ex se, nisi substantiam incompletam.

Possunt etiam assumi partes integrantes, non tamen accidens, cuius dependentiam à subjecto potest supplere. Verbum in genere causæ efficientis, non in ratione termini.

Ref. 6. Persona creata non potest naturaliter alienam naturam terminare: non tamen videtur repugnare, quin possit supernaturaliter.

Etsi suppositum creatum non possit alienam naturam intrinsecè afficere, & modificare; posset tamen eam terminare extrinsecè & hypostaticè.

CAP. XIV. *Ref. 1.* Ex vi præsentis decreti, Verbum non assumpsisset carnem, si homo non peccasset.

Quo sensu Christus dicatur initium viarum Dei, primogenitus omnis creaturæ, primusque prædestinatorum.

Etsi Incarnatio peracta non sit, nisi occasione peccati, non propterea bonum occasionatum dici debet.

Ordinatè volens priùs vult media fini, quoad vim movendi, propinquiora quàm remotiora, esto quoad entitatem non sint digniora.

Ref. 2. Etsi Christus omnia peccata sufficienter deleverit, dici tamen potest eum potius venisse ad delendum peccatum originale, quàm actualè.

Unde Christus venisset ad tollendum peccatum originale, etsi non fuissent actualia: non vice versa, ad tollenda actualia, si non fuisset originale.

Ref. 3. Nulla creatura concurrit de facto ad unionem hypostaticam, tanquam causà physica illius, sive principalis, sive instrumentalis.

Quod dicitur, per Virginem carnem junctam esse Deo,

Deo,

38 DE VERBO INCARNATO.

Deo, intellige, quatenus Virgo, non quidem per modum instrumenti, sed in fluxu materno ad eam unionem concurrat.

Nulla etiam ad eam unionem praecessit dispositio, sive physica, sive moralis.

Res. 4. Nec humanitas Christi, nec ipse Christus meruit de facto Incarnationem.

Potuit tamen Christus absolute mereri Incarnationem per opera eam sequentia. Et quod dicitur, principium meriti non cadere sub meritum, intelligitur, de lege ordinaria.

Res. 5. Antiqui Patres non meruerunt, sive de condigno, sive de congruo, Incarnationem.

Ne quidem de potentia absoluta potuerunt Patres de condigno mereri Incarnationem.

Potuerunt tamen mereri de congruo quandam circumstantiam Incarnationis, ut, quod fieret tali tempore, &c.

Res. 6. B. Virgo non meruit de condigno esse mater Dei, etsi optime fuerit disposita ad hanc maternitatem.

Id tamen meruit de congruo multo magis quam sic meruit Abraham, ut Christus ex illius stirpe nasceretur.

Incarnatio dicit praecise unionem Verbi cum hac humanitate, non autem illius assumptionem ex tali foemina: quare intuitu illius potuit Virgo mereri de congruo maternitatem.

CAP. XV. *Res. 1.* Humanitas Christi fuit formaliter sancta, praecisa gratia habituali, nempe per ipsam unionem hypostaticam.

Esse sanctum accidentaliter est effectus formalis gratiae habitualis: at esse sanctum substantialiter est effectus unionis hypostaticae.

Non potest Christi humanitas esse formaliter intelligens per intellectionem Dei, cum tamen sit sancta per sanctitatem divinam.

Res. 2. In Christo fuit gratia habitualis, eaque ejusdem speciei cum nostra, & finita in genere entis: quamvis dici solet infinita in ratione gratiae.

HAG

Hæc gratia de lege ordinaria angeri non potuit, absolutè tamen potuit.

Etsi Christus habuerit gratiam habituales, non propterea dici potuit filius adoptivus; cum non esset persona extranea.

Ref. 3. Caritas fuit in Christo, & probabiliter spes, quatenus beatitudinem animæ ut bonum proprium diligebat, & præterea expectabat beatitudinem corporis.

In Christo non erat fides, ut hæc dicit assensum obsecurum rebus à Deo revelatis præstitum; erat tamen multiplex alio sensu.

Ref. 4. Christus habuit virtutes morales per se infusas si dantur, & ex suo genere acquisitas.

Christus specialiter habuit magnificentiam, & liberalitatè in summo gradu, & temperantiam perfectam, non illam quæ dicitur continentia: exercuit etiam actus iustitiæ vindicativæ.

Probabilius est, ejusmodi virtutes morales, ex suo genere acquisitas, fuisse Christo infusas in puncto Incarnationis.

Ref. 5. In Christo nulla fuit de facto gratia excitans, vel adjuvans: etsi ad actus supernaturales indiguerit concursu generali ejusdem ordinis.

Fuerunt tamen in Christo dona Spiritus S. non solum alia, sed etiam consilium, timor, & fortitudo, detractis imperfectionibus.

Item gratiæ gratis datæ; nempe donum miraculorum genera linguarum, discretio spirituum, gratia sanitarum, prophetia, &c.

CAP. XVI *Ref. 1.* Christus ut homo, habuit scientiam aliquam seu cognitionem creatam, distinctam à divina.

In intellectu Christi erant actus, & habitus, tum ordinis naturalis, tum supernaturalis.

Ref. 2. Christus in hac vita habuit scientiam beatificam esto non habuerit gloriam corporis, nisi post resurrectionem.

40 DE VERBO INCARNATO.

Per ejusmodi scientiam Christus non videbat in Deo, sive actu, sive habitu omnia possibilea.

Videbat tamen per illam, quicquid Deus novit scientia visionis, sed non eadem claritate.

Ref. 3. Christus habuit scientiam per se infusam, & supernaturalem, à beata distinctam.

Per ejusmodi scientiam cognoscebat Christus res omnes supernaturales creatas, in proprio genere.

Noverat etiam Deum unum & trinum, quoad quod est, non quoad quid est.

Cognoscebat præterea cordium cogitationes, & futura contingentia, ab hominum libertate pendente.

Admittendæ sunt in intellectu Christi species multiplices & supernaturales, huic scientiæ deservientes.

Hæc scientia agebat independenter à phantasmatibus, neque erat discursiva actu, aut potentia.

Ref. 4. Christus præditus fuit scientia perfectissima rerum omnium naturalium, quæ sub humanam cognitionem cadere possunt.

Probabilius est, hanc scientiam fuisse Christo per accidens infusam in instanti Incarnationis.

Christus tamen successu temporis cognitionem quandam rerum experimentalem, propriis actibus sibi comparabat.

CAP. XVII. *Ref. 1.* In Christo ponenda est duplex voluntas, divina scilicet & humana.

Non modo voluntas humana efficax fuit in Christo conformis divinæ, sed etiam inefficax; et si hæc secundum quid ab ea discrepaverit.

In Christo fuit liberum arbitrium, tam quoad potentiam, quàm quoad actum.

Et si Christus non posset absolute omittere præceptum moriendi; poterat tamen illud omittere, non ponendo eum actum, per quem illud implevit quoad substantiam.

Ref. 2. Christus proprie meruit, idque per varios actus,

DE VERBO INCARNATO. 41

actus, ac speciatim per actum amoris Dei, qui sequebatur scientiam infusam.

Meruit autem in instanti Incarnationis, & deinceps per totam vitam, etiam dum torquebatur in cruce; esto formaliter per ipsam mortem non meruerit.

Ref. 3. Christus sibi meruit gloriam corporis, sui-que nominis exaltationem: adeoque impassibilitatem animæ, resurrectionem, ascensionem, ultimum adventum, & quicquid unquam in laudem illius factum est.

Non tamen sibi meruit gloriam animæ, gratiam sanctificantem, aliosve habitus supernaturales, nec eorum augmentum.

Nobis verò meruit dispositiones ad gratiam, gratiam sanctificantem & remissionem peccatorum, id-que in se, augmentum gratiæ, satisfactionem, meritum, & electionem ad gloriam.

CAP. XVIII. *Ref. 1.* Anima Christi non habuit omnipotentiam simpliciter: Virtus tamen patranda vera miracula, aliaque opera supernaturalia fuit illi concessa.

Potentia illa inerat Christo immanenter per modum habitus; esto illius humanitas esset tantum causa instrumentalis.

Virtus prædicta non erat Christo naturalis, sed supernaturalis; nec physica, sed moralis duntaxat.

Ref. 2. Christus ut homo, fuit subditus Patris quatenus tenebatur illius præcepto obtemperare.

Dici etiam potest, Christum ut hominem, esse servum Dei; quatenus humanitas illius est creatura essentialiter Deo subdita.

Rursus Christus ut homo, fuit subditus legi naturali, non autem positivæ, sive divinæ, sive humanæ.

Christus tamen habuit præceptum speciale moriendi pro hominibus, non quidem naturale, sed divinum positivum.

Christus fuit subditus quibusdam defectibus corporeis

42 DE VERBO INCARNATO.

porcis, ut erat conveniens ad finem Incarnationis, non tamen omnibus.

Res. 3. Christus nec peccavit, nec per absolutam potentiam, utpotè beatus, peccare potuit.

Imo Christus fuisset impeccabilis, ex vi unionis hypostaticæ, etsi Verbum humanitatem assumpsisset absque glória.

Non est inconveniens quod Deus dicatur mori: est tamen quòd dicatur peccare.

Christus non habuit fomitem peccati, sive in actu secundo, sive in actu primo.

Nulla fuit de facto in intellectu Christi ignorantia, vel error, sive speculativus, sive practicus.

Ignorantia puræ negationis Christo ut homini, non repugnabat: non tamen potuit in eo reperiri error practicus, aut etiam falsum iudicium speculativum.

In Christo erant varii motus appetitus sensitivi, qui pro passionibus potius quàm passionibus appellari consueverunt.

Admiratio erat in Christo, non quòd aliquid simpliciter ignoraret; sed quia quædam erant insolita ipsius experientia.

CAP. XIX. *Res. 1.* Christus ut Deus, est simul cum Patre & Spiritu S. caput invisibile Ecclesiæ: ut verò, Deus homo, est caput visibile illius.

Christus secundum totam humanitatem est caput hominum, quoad corpus, & animam ipsorum.

Non tantum hominum, sed etiam Angelorum est caput, quatenus saltè illuminationes quasdam in eos influit.

Aliter Christus, aliter dæmon est caput malorum; nec in moralibus monstruosum est varia capita eidem corpori assignare.

Res. 2. Christus fuit sacerdos, quatenus se obtulit in ara crucis, & in sacrificio altaris est primarius offerens.

Non fuit sacerdos successione, aut unctione olei, sed

sed ex Verbi unione qua humanitas illius fuit delibuta oleo divinitatis.

Concedi potest, Christum pro se obtulisse sacrificium, non ut propitiatorium, sed ut impetratorium, & eucharisticum. Non tamen dici potest, eum pro se mortuum.

Christus non tantum sacerdotis, sed etiam Legislatoris perfecte munus obiit.

Etsi Christus non fuerit Rex quoad usum, habuit tamen in actu primo regiam potestatem in omnes res mundi.

Habebat etiam dominium radicale in res omnes & singulas universi; quod non impediabat, quin homines titulo domini aliquid possiderent.

Res. 3. Christus verus fuit mediator inter Deum homines, idque longè nobiliori modo, quàm alii sancti.

Non modo in hac vita oravit, sed & nunc orat in cœlo pro nobis; idque propriè & formaliter, & non tantum interpretativè.

Ne tamen detur occasio errandi, Ecclesia solet petere à Christo, ut misereatur nostri, non autem ut oret pro nobis.

CAP. XX. *Res. 1.* Christus ut homo, non debet dici filius Dei adoptivus, sed naturalis.

Quod potest intelligi de filiatione illa æterna, quam per generationem à Patre obtinuit.

Res. 2. Dicitur propriè non potest, Verbum esse prædestinatum, ut esset homo: dici tamen potest, prædestinatum, seu decretum esse, ut Verbum fieret homo.

Dicitur quoque potest absolutè, Christum esse prædestinatum: item, esse prædestinatum ad esse: & esse prædestinatum ad gratiam, & gloriam, etsi hæc illi essent debita ex congruitate.

Dicitur etiam potest, humanam naturam esse prædestinatam ad unionem hypostaticam: non tamen, ad gloriam.

44 DE VERBO INCARNATO.

Non potest dici absolutè, Christum esse prædestinatum, ut sit filius Dei.

Res. 3. Christi humanitas adorari potest, eadem quoad substantiam adoratione latriæ, qua Verbum ipsum adoratur.

Cum eo tamen discrimine, quòd Verbum ratione sui adoratur, humanitas autem ratione Verbi.

Potest etiam Christi humanitas adorari hyperdulia, ratione donorum gratiæ & gloriæ quibus ornata est.

Imò talis cultus licitus est, dummodo saltem superior non denegetur. Nec reprehenduntur à Conciliis, nisi qui duas adorationes Nestorianas inducunt.

Res. 4. Imago Christi ita potest adorari, ut actus adorationis tam externus, quàm internus terminetur ad Christum, & ad illius imaginem.

Potest etiam imago Christi adorari, etsi Christus ipse non adoretur in recto, sed in obliquo.

Adoratio est respectiva, non tantùm quando imago Christi posteriori modo, sed etiam quando priori adoratur.

Potest similiter crux Christi adorari, aut simul cum Christo, aut ita ut actus adorationis directè ad illam tantùm terminetur: & utraque adoratio est respectiva, ut ad crucem terminatur.

Omnes cruces adorantur ut sunt quædam imagines Christi crucifixi; at illa in qua Christus pependit, adoratur etiam ut illius reliquia: adeoque vel minima illius pars adorari debet.

Res. 5. Beata Virgo non est adoranda latriâ; propriè, sed tantùm hyperdulia; eaque excellentiori, quàm quæ Apostolis competit.

Improbatur tamen mos quarundam foeminarum, offerentium placentulas Virgini, tanquàm sacrificia.

Res. 6. Reliquiæ Sanctorum possunt adorari, etiam in recto, qui respectivus esse debet; sive solæ in recto sive simul cum persona adorentur.

Appen.

DE VERBO INCARNATO. 45

Appen. Duplex est communicatio idiomatum in Christo, altera qua duæ naturæ, altera qua earum proprietates de eadem persona in concreto prædicantur.

Propter primam, vera est illa propositio, Verbum est Deus, & ista, Verbum est homo, & similes.

Harum trium propositionum, Deus est homo, Jesus est homo, Christus est homo, prima est contingens, & aliæ duæ necessariae.

Vera est illa propositio, Deus factus est homo, vel, hic homo; non tamen ista admitti solet, homo factus est Deus.

Propter alteram communicationem dici potest, Christus est æternus & temporalis, finitus & infinitus.

Non est simpliciter dicendum, Christum esse creaturam, etsi simpliciter dici possit, tum esse passum, mortuum, & sepultum.

Quæ conveniunt unæ naturæ, non possunt dici de altera in abstracto.

Errant Lutherani, quatenus docent, proprietates naturæ divinæ esse formaliter communicatas humanitati.

LIBER III.

DE ANGELIS.

CAP. I. DE fide est Angelos existere: eorum tamen existentia ratione naturali evidenter demonstrari non potest.

Ref. 1. Certum est ex fide, Angelos non esse creatos ab æterno, sed in tempore.

Fuerunt producti simul cum mūdo corporeo: nec sine temeritate quis diceret, ante esse productos.

Ref. 2. Angeli sunt spirituales seu incorporei, non modo ex parte, sed totaliter.

Patres qui olim dixerunt Angelos esse corporeos, non peccarunt contra fidem. Qui tamen id jam affirmarent, temeritatis arguerentur.

Res. 3. Angeli non sunt compositi ex materia aliqua, siue corporea, siue incorporea.

Ibi est materia, ubi est transmutatio substantialis, non ubi tantum accidentalis.

Et si Angelus non consistet ex partibus formaliter extensivis, vel intensivis, habet tamen aliquam extensionem, & intensiorem virtuales.

In Angelo sunt variae compositiones metaphysicae, ex essentia, & existentia, ex natura singulari & supposito, &c.

Res. 4. Angeli ab intrinseco, & ex natura sua sunt incorruptibiles: quatenus ab agente creato, vel à Deo, ex lege ordinaria corrumpi non possunt.

Dicuntur tamen Dei gratia habere immortalitatem: id est, ex libero concursu Dei eos conservante; consentaneè tamen naturis rerum.

Res. 5. Possunt dari plures Angeli & ejusdem, & diversa speciei.

Non opus est ut quaecunque numero distinguantur, habeant materiam, ut patet ex anima rationali.

Inter duas animas rationales est distinctio formarum; at inter animam rationalem, & Angelum est distinctio formalis, seu essentialis.

Res. 6. Dantur de facto plures Angeli distincti speciei; & plures distincti solo numero.

Angolorum numerus est maximus, quamvis incertus; utpote infinitam, & immensam Dei majestatem valde decens.

CAP. II. *Res. 1.* Angeli non habent corpora sibi naturaliter unita: interdum tamen assumunt corpora.

Angeli possunt assumere corpora animata, & mortuorum, & ex aëre, aliave materia confecta.

Formatio illa corporum non excedit virtutem naturalem Angelorum, qui tamen non possunt producere corpus aliquod ex nihilo.

Non repugnat bonos, & malos Angelos ex eadem materia terrestri corpora assumere.

Ex Angelo & corpore assumpto non fit unum compositum per se, aut unum suppositum.

Res. 2. Non potest Angelus in corpore assumpto exercere actiones quoad substantiam vitales, ut videre, generare, &c.

Potest tamen exercere quoad entitatem realem operationes, quæ tantum sunt vitales quoad modum, ut loqui, ambulare, comedere.

Non tamen potest jam dictas operationes elicere, quoad modum vitalitatis.

Res. 3. Angelus est in loco per præsentiam ad locum, seu per indistantiam suæ substantiæ à spatio in quo est.

Non potest Angelus simul esse in pluribus locis totalibus & adæquatis; potest tamen in partialibus, & in adæquatis, modo inter se sint contigua.

Possunt plures Angeli esse simul in eodem loco, per præsentiam substantialem.

Res. 4. Non habet Angelus terminum parvitatæ quoad locum; adeoque potest se totaliter reducere ad punctum: ita ut extra illud non sit.

Habet tamen Angelus terminum magnitudinis quoad locum; ita ut non possit naturaliter esse præsens omni loco.

Probabile est, non posse Angelum suam præsentiam extendere ultra diametrum suæ spheræ.

Res. 5. Potest Angelus moveri localiter, idque motu continuo; esto substantialiter sit indivisibilis.

Et ex communi sententia, motu discreto; ita scilicet, ut eodem instanti temporalis locum adæquatum deserat, simulque totum alium occupet.

Hoc tamen difficultate non caret: adeoque probabile est non posse Angelum transire de loco in locum, nisi transeundo per medium tam participans, quam non participans.

CAP. III. *Res. 1.* Angeli intelligere non est illius substantiæ, sed accidens ab ea realiter distinctum.

Ref. 2. Intellectus quoque Angeli distinguitur ab illius substantia; & in ea radicatur.

In Angelo non est propriè intellectus agens vel possibilis; prout hi termini à Philosophis usurpantur.

Ref. 3. Angelus indiget specie aliqua, ad intelligendum alias res creatas à se distinctas.

Species, per quas Angeli intelligunt, fuerunt ipsis à Deo infusæ in instanti creationis.

Ref. 4. Possunt dari species aliæ aliis universaliores in repræsentando: & verisimile est eas quæ sunt universaliores, perfectioribus Angelis de facto fuisse collatas.

Cognoscere aliquid in universali, ex parte rei cognitæ, est imperfectius quàm cognoscere in speciali. At cognoscere in universali, ex parte mediæ cognoscendi, est perfectius.

CAP. IV. *Ref. 1.* Angelus seipsum cognoscit, idque per suam substantiam, sine specie media.

Agendo de possibili, non repugnat quòd Angelus se cognoscat per aliquam sui speciem.

Probabile est non posse Angelum cessare ab actuali sui ipsius cognitione, id tamen non potest efficaciter probari.

Ref. 2. Unus Angelus alium cognoscit, & superior comprehendit inferiorem, quoad essentiam & proprietates naturaliter ab ea manantes, non quoad cogitationes cordis, aut potentiam obedientialem, sive activam, sive passivam.

Angelus tamen inferior superioris naturam adæquatè comprehendere non potest.

Ref. 3. Angelus per sua naturalia Deum cognoscit, multò magis quàm homo.

Angelus per cognitionem suæ substantiæ, Deum cognoscit sine vllò discursu.

Etsi per eam cognitionem non cognoscat Deum quoad, quid est, cognoscit tamen quoad, an est.

Ref. 4. Cognitio rerum materialium & singularium eaque distincta & comprehensiva est in Angelis.

Species

Species omnes ejusmodi rerum fuerunt simul Angelis in instanti creationis à Deo infusæ.

Rei tamen cujuslibet existentia est conditio sine qua, ipsius species non habet vim dicendi intellectum, in cognitionem illius intuitivam.

Res. 5. Potest Angelus naturaliter certò cognoscere effectus, ex solis causis naturalibus contingenter futuros.

Non tamen eos qui ex libero arbitrio contingenter futuri sunt: esto habeat eorum species concreatas.

Res. 6. Angeli non cognoscunt de facto cogitationes cordium, nisi dependenter à voluntate alterius.

Potest Angelus per se loquendo, cognoscere naturaliter secreta cordium: non tamen de facto cognoscit, defectu concursus divini, nisi homo consentiat.

Res. 7. Angeli naturæ viribus cognoscunt mysteria quæ tantum sunt supernaturalia quoad modum.

Non autem quæ sunt supernaturalia quoad substantiam: quo fit non omnes entium species ab Angelo naturaliter cognosci posse.

Probabile est Angelis fuisse in via communicatam cognitionem aliquam mysterii Incarnationis; hoc tamen in sententia nostra, de causa adventus Christi, non facile defendi potest.

CAP. V. *Res. 1.* Probabile est posse Angelum multa eodem actu intelligere, v. c. bovem, & equum; sicut habet unam speciem plurium representativam.

Potest etiam multa simul, seu eodem tempore, variis actibus, sive ejusdem, sive diversi ordinis intelligere.

Res. 2. Angelus proprie non discurrens circa objecta naturalia, quorum propriam habet speciem.

Probabile tamen est, cum discurrere circa supernaturalia, & alia quæ evidentè non cognoscit.

Ut proprium sit hominis ratiocinari, non Angeli,

fatis est quòd Angelus quoad naturalia, quorum habet species concreatas, non discurrat.

Ref. 3. Angelus multa cognoscit non componendo; ut cùm per speciem hominis iudicat, hominem esse animal rationale.

Multa etiam cognoscit sine divisione: ut cùm per speciem universalem repræsèntantem equum, & leonem, iudicat, unum non esse alium.

Utitur tamen compositione, & divisione, quando cognoscit res inevidenter, seu quarum non habet proprias species.

CAP. VI. *Ref. 1.* In Angelis est voluntas, quæ aliud nihil est quàm inclinatio ad bonum universaliter apprehensum.

In Angelis est etiam liberum arbitrium, fundatur in eo quòd cognoscunt universalem rationem boni.

Appetitus intellectivus Angeli non distinguitur in irascibilem, & concupiscibilem.

Ref. 2. In Angelo non modo est dilectio naturalis, sed etiam electiva, & utraque seipsum amat.

Probabile est Angelum posse abstinere à sui ipsius dilectione, sicut & à sui cognitione actuali.

Ref. 3. Unus Angelus naturaliter alium diligit sicut seipsum; ita ut particula, sicut, significet similitudinem, non æqualitatem.

Et si amor ille sit necessarius quoad specificacionem, non tamen quoad exercitium.

Angelus naturaliter Deum plusquam seipsum diligit, qui amor est necessarius quoad specificacionem non quoad exercitium.

CAP. VII. *Ref. 1.* Angeli fuerunt creati in beatitudine naturali, non in supernaturali.

Angelus indignus gratia ad hoc, ut converteretur in Deum, prout est objectum beatitudinis.

Triplex est conversio in Deum, prima per amorem beatificum, secunda per actum meritorium, tertia per dispositionem ad gratiam sanctificantem.

Ref. 2.

Res. 2. Deus initio temporis creavit Angelos simul in eis condendo naturam, & largiendo gratiam.

Angeli per proprios actus se disposuerunt, ad receptionem primæ illius gratiæ sanctificantis.

Res. 3. Angelus beatus suam beatitudinem obtinuit, per proprios actus meritorios.

Via sive bonorum, sive malorum Angelorum non fuit absoluta in unico instanti.

Angeli consecuti sunt gratiam, & gloriam secundum proportionem suorum naturalium.

Res. 4. In Angelis beatis remanet cognitio, & dilectio naturalis, simul cum cognitione, & amore supernaturali.

Angeli beati peccare non possunt, neque in beatitudine essentiali proficere.

Potest tamen usque ad diem iudicii, augeri Angelorum gaudium de salute hominum, quod datur illis intuitu beatitudinis, non ex merito, spectatque ad præmium accidentale.

CAP. VIII. *Res. 1.* Malum culpæ potest esse in Angelis, secundum conditionem suæ naturæ spectatis.

Falsum tamen est, & hæreticum, dicere, Angelum ex conditione suæ naturæ malum esse.

Probabile est Angelum, secundum suam naturam spectatum, posse peccare venialiter.

Res. 2. Non modo Angelus peccavit ex superbia, sed etiam hæc fuit primum illius peccatum, ex quo deinde orta est invidia.

In Angelis potest esse aliquod peccatum, quoad affectum, præter superbiam & invidiam, v. c. formale odium Dei, vel hominis.

Difficile est determinare quodnam fuerit de facto objectum primi peccati Angelorum.

Res. 3. Angeli de facto non peccarunt in instanti creationis; potuerunt tamen per se loquendo, in eo instanti peccare.

Dico, per se loquendo, nam ex hypothesi quod Angeli creati sunt in gratia, ad quam per actum

amoris Dei se disposuerunt, sic tunc non potuerunt peccare.

Ref. 4. Via bonorum Angelorum tribus instantibus conclusa fuit, quorum 1. meruerunt. 2. perseveraverunt. 3. gloriam adepti sunt.

Similem habuit durationem via malorum, nam 1. meruerunt. 2. peccaverunt. 3. supplicio affecti sunt.

Ref. 5. Supremus Angelus inter peccantes, fuit supremus inter omnes.

Peccatum primi Angeli fuit aliis causa peccandi, non quidem cogens, sed quadam quasi exhortatione inducens.

Angeli omnes non peccarunt in eodem instanti indivisibili nostri temporis, sed in instanti temporis discreti, virtualem aliquam successionem habente.

Plures sunt boni, quam mali Angeli, non tamen quantus sit bonorum numerus, vel quo excessu malos superet, definiri potest.

CAP. IX. *Ref. 1.* Cognitio veritatis quæ habetur per naturam, nec ablata, nec diminuta est in Angelis magis.

In Angelis post peccatum, nullum remansit donum supernaturale, sive actuale, sive habituale.

Habent tamen fidem quoad substantiam naturalem, qua credunt aliquid supernaturale.

Ref. 2. Voluntas dæmonum est obstinata in malo: quam obstinationem S. Thomas referre videtur in naturalem eorum conditionem.

Probabilius tamen dici potest, eam referendam esse in defectum auxiliorum gratiæ.

Dæmones probabiliter in malo fuerunt obstinati, statim post peccatum commissum.

Ref. 3. Dolor ut passio, non est in Dæmonibus; est tamen in illis ut dicit simplicem actum voluntatis.

In Dæmonibus non est verum aliquod gaudium, sed tantum fictum, & apparens.

Explicatur Sanctus Thomas cum ait, dæmones torqueri ab igne infernali per alligationem.

CAP. X. *Ref. 1.* Unus Angelus alium illuminat, purgat, & perficit, idque eodem actu.

Locutio est manifestatio cuiuscumque veritatis, at illuminatio respicit tantum veritates ad Deum ordinatas. Unde veritates naturales non sunt materia illuminationis.

Angeli inferiores illuminantur per superiores, non vice versa, nisi in casu aliquo extraordinario.

Angelus superior illuminat inferiorem, de omnibus quæ ipsi revelantur, non statim, sed quando id expedire iudicat.

Ref. 2. Certum est unum Angelum loqui alteri, idque dirigendo ei suum conceptum.

Est autem non levis dubitatio, an talis directio ad locutionem sufficiat: qua in re pars affirmativa videtur probabilior.

Unde non placet quod aliqui dicunt, 'Angelum non loqui alteri, nisi per signum aliquod ei indicando conceptum suum.'

CAP. XI. *Ref. 1.* Inter Angelos sunt tres Hierarchiæ, in qualibet Hierarchia sunt tres ordines, & in quolibet ordine plures Angeli.

In infima Hierarchia sunt Angeli, Archangeli, & Principatus: in media Potestates, Virtutes, & Dominationes: in suprema Throni, Cherubim, & Seraphim.

Ref. 2. Distinctio hierarchiarum, & ordinum est quodammodo à natura, etsi completivè sit per dona gratiæ,

Talis distinctio, graduum manebit in Angelis, etiã post diem iudicii: executio verò officiorum cessabit, quoad munus perducendi aliquos in finem.

Homines possunt assumi ad ordines Angelorum, non secundum conditionem naturæ, sed secundum gradum gratiæ, & gloriæ.

Ref. 3. Inter dæmones sunt ordines quantum ad naturam,

naturam, & naturæ gradum, licet non quoad gratiam, & gloriam.

Est etiam inter eos prælatio quædam, in eo posita, ut actio unius subdatur actioni alterius. Similis tamen prælatio non est inter homines damnatos, ob majorem naturæ similitudinem.

Unus demon alium non illuminat, quamvis conceptum suum per modum locutionis ei intimare possit.

Angeli boni habent prælationem in malos, & ex se eos illuminant: mali tamen non illuminantur.

Res. 4. Angeli administrant res corporeas, non tantum mediatur, movendo cælos, sed etiam immediatur per se ipsos, habendo curam specierum creaturarum.

Non tamen possunt Angeli per se ipsos immediatur inducere formam substantialem in materiam; nec propria virtute vera facere miracula.

At possunt applicando activa passivis, varias transformationes insolitas efficere.

Res. 5. Potest Angelus hominem illuminare, non producendo species in illius intellectu, sed illius sensus externos, & internos variis modis immutando.

Potest etiam immutare voluntatem hominis, non immediatur agendo in illam, sed per modum suadentis proponendo objecta, excitando passiones, &c.

Res materiales obediunt Angelis ad nutum, quoad motum localem.

Angeli mittuntur à Deo in ministerium: non tamen propriè sunt ministri hominum, sed potius eorum rectores, & custodes.

Juxta S. Thomam, superiores Angeli nunquam ad exterius ministerium mittuntur, alii tamen existimant, superiores Angelos extraordinariè mitti.

Res. 2. Homines custodiuntur ab Angelis, ut per eos regulentur & moveantur ad bonum.

Singuli homines à singulis Angelis custodiuntur, nullusque est homo qui careat Angelo custode.

Exci-

DE ANGELIS.

Excipe Christum; non tamen beatam Virginem nec homines in statu innocentiae, nec praescitos.

Personae publicae praeter Angelum custodem, habent alium quo diriguntur in iis, quae spectant ad regimen multitudinis.

Sunt etiam Angeli qui regnis, provinciis, civitatibus, & congregationibus praeficiuntur.

Res. 3. Angelus deputatur homini ad custodiam a nativitate, imò probabiliter aliqui existimant infantem, quandiu est in utero, habere Angelum sibi specialiter deputatum.

Angelus custos nunquam totaliter deserit hominem, sed tantum secundum quid, nec dolet de malis illius quem custodit.

Inter Angelos bonos interdum est pugna, quatenus pugnantia petunt, nescientes quid velit Deus.

Res. 4. Homines impugnantur a daemonibus, cuius tamen impugnationis ordo est a Deo.

Proprium est daemonis tentare hominem malo fine, nempe ut eum decipiat, & in peccatum precipitet.

Eadem tentatio potest esse probationis, ut a Deo permittitur, & seductionis, ut a daemone causatur.

Etsi daemon sit indirecte causa omnium peccatorum, non tamen omnia directe oriuntur ex illius suggestione.

LIBER IV.

DE AUXILIIS DIVINIS.

CAP. I. Potest homo in natura lapsa, cum solo *Res. 1.* concursu Dei generali, cognoscere multas veritates speculativas ordinis naturalis: non tamen omnes collectivè.

Ut appetitus, omnia sciendi non sit frustra, satis est quod homo possit naturaliter aliam & aliam cognitionem assequi, quantum hujus vitae ratio patitur.

Res. 2.

Ref. 2. Potest homo in natura lapsa, cognoscere multas veritates morales ordinis naturalis, sine speciali auxilio; non tamen omnes.

Intellectus practicus propter passiones, variasque occurrentes circumstantias, difficilius veritatem attingit, quam speculativus.

CAP. II. *Ref. 1.* Potest homo in natura lapsa bene operari moraliter sive propriis viribus, sive saltem per gratiam.

Ref. 2. Potest homo carens gratiâ sanctificante, adeoque existens in peccato mortali, bene operari moraliter.

Augustinus exigens charitatem ad opus bonum, intelligendus de opere utili ad vitam æternam.

Non etiam necessaria est fides ad bene operandum moraliter, debetque explicari Augustinus modo jam dicto, quando oppositum sentire videtur.

Non repugnat quod infidelis eliciat aliquod opus morale ex fine honesto, rectæque rationi consentaneo.

Ref. 3. Potest homo in natura lapsa efficere opus aliquod moraliter bonum cum solo concursu Dei generali.

Non omnia opera moraliter bona disponunt propriè ad remissionem peccatorum, sed ea ut summum quæ fiunt ex gratia.

Sunt quædam opera moralia valde difficilia, quæ sine gratiæ auxilio fieri nequeunt.

Incredibile est ex jure ipso creationis & conservationis, non deberi homini circumstantias, in quibus vel semel sit bene operaturus.

CAP. III. *Ref. 1.* Potest homo in natura lapsa, Deum aliquo modo diligere sine auxilio gratiæ.

Amor in Deum, ut naturæ authorem tendens, non est propriè dispositio ad gratiam.

Ref. 2. Potest homo in natura lapsa, diligere Deum amore aliquo benevolentiæ, sine auxilio gratiæ.

Inter

Inter Deum & homines potest esse amicitia, non modò supernaturalis, sed etiam naturalis.

Per amorem Dei super omnia, non intelligitur amor benevolentia affectivus, sed obedientialis.

Ref. 3. Non potest homo in natura lapsa, propriis viribus amare super omnia Deum, ut naturæ auctorem.

Etsi amor ille non excedat vires phycas voluntatis humanæ, per se spectatæ; eas tamen superat, si spectentur difficultates quæ occurrunt.

Unde etiam fit; ut sine speciali auxilio, non possit ad actum reduci naturalis inclinatio, quam habet homo ad Deum super omnia diligendum.

CAP. IV. *Ref. 1.* Non potest homo lapsus servare longo tempore totam legem naturalem, sine gratia.

Ejusmodi lex, etsi quoad ordinem sit proportionata naturæ lapsæ, non tamen quoad executionem.

Ref. 2. Potest homo in natura lapsa, cum divîno auxilio servare omnia præcepta naturalia.

Etiam præceptum, non concupisces, & præceptum diligendi Deum super omnia.

Ordinariè diuturna legis naturalis observatio non habet locum, nisi in fidelibus, & justis.

Ref. 3. Non potest homo lapsus vitare omnia peccata venialia longo tempore, cum auxiliis ordinariis gratiæ.

Ex speciali tamen privilegio, quale B. Virgini collatum fuit: omnia venialia caveri possunt.

Exceptâ B. Virgine, nullus sanctorum ab omni culpa veniali in hoc mundo fuit immunis.

CAP. V. *Ref. 1.* Non potest homo credere mysteria fidei, ut oportet ad salutem, sine gratiæ auxilio, etiam postquam sufficienter sunt proposita, & probatum à Deo esse revelata.

Intellectus noster nulli veritati facultate propria assentiri potest, nisi ea vel immediatè, vel mediatè per rationem naturalem patefiat.

Potest

Potest tamen homo, naturæ viribus, credere mysteria fidei, assensu aliquo opinativo, & humano.

Ref. 2. Voluntas credendi, seu pius ille affectus voluntatis, quo intellectus movetur ad assentiendum mysteriis fidei propositis, est ex gratiæ auxilio.

Idem dic de hujus voluntatis initio, quod consistit in actu quo intellectus judicat, credendum esse.

Ejusmodi autem actus intellectus est prima gratia vocans seu præveniens, qua homo excitatur ad fidem amplectendam.

Ref. 3. Non potest homo, sine speciali auxilio amare Deum ut authorem gratiæ, amore benevolentia.

Quod intellige etiam de benevolentia imperfecta, quam esse supernaturalem non repugnat.

Imò hoc extendendum ad amorem concupiscentiæ, quo homo Deum diligit, ut bonum suum supernaturale.

Ref. 4. Non potest homo servare quoad substantiam, ullum præceptum affirmativum supernaturale, de interno actu, sine auxilio gratiæ.

Quod non tantum debet intelligi, de omnibus præceptis collectivè; sed etiam de singulis, idque quoad quemlibet eorum actum.

Unde quando præceptum supernaturale obligat, non potest vitari peccatum contra illud, absque auxilio gratiæ.

Ref. 5. Non potest homo sive proximè, sive remote se disponere ad gratiam habitualem, sine auxilio gratiæ.

Vulgatum illud, facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, intelligitur de faciente ex gratiæ auxilio.

CAP. VI. *Ref. 1.* Celebris est divisio gratiæ actualis in excitantem & adjuvantem.

Excitans consistit in sancta cogitatione, & pio affectu, quibus Deus pulsat cor hominis, & movet ad bonum.

DE AUXILIIS DIVINIS 59

Gratia excitans confertur homini sine illius libero consensu, sed non sine illius influxu physico.

Eam autem Deus producit per se immediatè, & non interventu alicujus qualitatis aut motionis creatæ.

Ref. 2. Gratia adjuvans est auxilium actuale ordinis supernaturalis, quo Deus juvat voluntatem creatam ad actus supernaturales.

Ad actus supernaturales sufficit habitus ejusdem ordinis, neque ad eos requiritur gratia actualis adjuvans.

Ref. 3. Gratia adjuvans non concurrit priùs naturæ ad opus supernaturale, quàm liberum arbitrium.

Neque se habet propriè ut causa totalis respectu actus supernaturalis, sed ut causa partialis dumtaxat.

Reprehenduntur Semipelagiani, quia inter Deum, & nos ita partiebantur, ut dicerent initium fidei esse à nobis, incrementum à Deo.

Ref. 4. Alia est divisio gratiæ actualis, in operantem, & cooperantem, quæ cum præcedenti coincidit.

Unde operans fit in nobis, sine nobis moraliter, seu liberè operantibus; licet ad illius productionem physicè concurramus.

Et distinguitur à cooperante, eo modo quo excitans ab adjuvante distinguitur, nempe aut moraliter juxta nonnullos, aut etiam realiter juxta alios.

Tertia est divisio gratiæ actualis, in prævenientem, & comitantem, seu subsequenter, quæ à præcedentibus non distinguitur.

CAP. IX. *Ref. 1.* Datur gratia aliqua ad benè agendum sufficiens, in iis qui de facto non benè operantur: quique proinde carent gratia efficaci.

Gratia sufficiens non videtur distincta ab excitante, & adjuvante, in actu primo spectata.

Ref. 2. Ea tantum gratia dicitur absolutè sufficiens ad aliquam operationem, quæ sufficit ut homo actu operetur, si velit. Non

Non negamus tamen, quin requiratur concursus Dei proportionatus, ex parte operationis.

Res. 3. Parvulis omnibus paratum est auxilium sufficiens ad salutem, quantum est ex parte Dei.

Idem dicendum de omnibus adultis, etiam infidelibus, & excœcatis.

Res. 4. Gratia sufficiens ad conversionem non datur quovis tempore, sed certis momentis juxta ordinationem Dei.

Hæc tamen gratia est semper omnibus parata, ad vitandum novum peccatum.

Præceptum conversionis ad Deum non semper urget, sed certis duntaxat temporibus.

Res. 5. Admittenda est quædam gratia efficax, ita movens hominem ad bonum, ut sequatur effectus.

Gratia efficax non distinguitur realiter ab excitante, seu vocante, cujus proprium munus est, impellere suaviter ad opus.

Res. 6. Probabilis est sententia quæ docet, gratiam efficacem realiter & physicè movere voluntatem ad opus bonum.

Non tamen hæc gratia physicè prædeterminat voluntatem ad opus, injecta ei antecedente agendi necessitate.

Deus non expectat voluntatem, antequam gratiâ divinâ præventa sit, præventam tamen expectat, ut consentiat.

Efficacia gratiæ in actu primo nullo modo pendet à voluntate, sed tantum efficacia in actu secundo, seu efficientia.

Res. 7. Efficacia gratiæ poni solet in certa congruitate, & contemperatione vocationis divinæ cum libero arbitrio, ex qua, juxta præscientiam Dei, infalibiliter sequitur effectus.

Ex duobus æquali gratia in actu primo præventis, fieri potest, ut unus consentiat, non alter.

DE GRATIA HABITUALI.

CAP. VIII. **D**atur aliquod donum gratiæ divinitus
Ref. 1. Infusum, quod post operationem in
 anima nostra habitualiter permanet.

Dari gratiam habitualem jam videtur esse de fi-
 de post Concilium Tridentinum: antea tamen non
 erat.

Ref. 2. Habitus gratiæ sanctificantis realiter à cha-
 ritate distinguitur: esto quicquid in scriptura dicitur
 de gratia, de charitate etiam dicatur.

Gratia habitualis constituit hominem in statu su-
 pernaturali, ad habitus operativos ejusdem ordinis,
 ex congruitate præsupposito.

Ref. 3. Gratia habitualis ex natura sua augeri po-
 test, idque in infinitum.

Gratiæ augmentum fit in hominibus per bona i-
 pforum opera, tanquam per causam meritoriam.

Gratia ordinariè non augetur ex opere operantis,
 nisi juxta proportionem meritorum, interdùm
 suprâ.

Nullus est viator, qui non possit ulteriores in gra-
 tia progressus facere.

Ref. 4. Gratia habitualis amitti potest, idque non
 solum infidelitate, sed etiam quovis alio peccato
 mortali.

Peccatum mortale non expellit gratiam efficien-
 ter physicè, sed tantum moraliter, seu demeritoriè.

Gratia habitualis absolutè minui potest, non ta-
 men de lege ordinaria.

CAP. IX. *Ref. 1.* Deus solus de facto est causa prin-
 cipalis gratiæ, imo de potentia absoluta nulla crea-
 tura potest vi sua gratiam producere.

Deus non tantum est causa generalis gratiæ, sed
 etiam particularis, potiori titulo quàm effectuum,
 quos solus producit, etsi causam creatam habere
 possint.

Ref. 2. Gratia habitualis non creatur propriè, sed
 ut sum-

62 DE GRATIA HABITUALI.

ut summum improprie, quatenus producitur nullis præcedentibus meritis.

Gratia educitur ex anima, in cuius potentia obedienciali passiva continetur.

Congruum est ut gratia educatur ex ipsa essentia animæ, sicut habitus operativi ex potentiis illius educuntur.

Res. 3. Nulla potest assignari qualitas, quæ fit dispositio physica ad gratiam.

Dantur tamen variæ dispositiones morales ad gratiam, quæ consistunt in quibusdam bonis actibus peccatoris.

Inter dispositiones ad justificationem in adultis necessarias, numerantur fides, spes, timor, dilectio Dei, & similes actus.

Res. 4. Dispositio ultima ad gratiam habitualement, non procedit effectivè ab ipsis habitibus gratiam comitantibus, sed ab auxilio actuali.

Non tamen ex vi talis dispositionis homo consequitur remissionem peccatorum, prius naturâ quàm gratia illi infundatur.

Eodem instanti temporis quo prædicta dispositio existit, gratia habitualis infunditur, à qua infusa formatur, & valorem accipit.

Res. 5. Non potest homo certò scire, certitudine fidei divinæ, se justum esse.

Aliqui viri perfectiores habent certitudinem moralem, actualis formidinis expertem, de sua justitia.

Ordinariè tamen homines justus non habent nisi probabilitatem aliquam conjecturalem, cum formidine conjunctam, de sua justitia.

CAP. X. *Res. 1.* Homo est formaliter justus, per formam gratiæ ipsi intrinsicam, & non tantum per justitiam Christi illi imputatam.

Unde quando dicitur, Christum nobis esse sapientiam, & justificationem, sensus est, eum nobis esse authorem sapientiæ, & justitiæ.

In justis.

DE GRATIA HABITUALI. 63

In justificatione hominis peccata verè tolluntur, ita ut amplius non remaneant, quoad aliquam rationem culpæ.

Res. 2. Renovatio interna quæ fit per gratiam, est mutatio aliquo modo distincta à remissione peccatorum.

Est etiam quodammodo connaturaliter cum ea conjuncta, non præcisè ob entitatem physicam gratiæ, sed ratione quorundam effectuum moralium, quos adjunctos habet.

Infusio gratiæ, & remissio peccati fiunt in eodem instanti, illaque est prior naturâ in genere causæ formalis, hæc in genere causæ materialis.

Nullus actus quantumvis perfectus, sive sit contritio, sive amor Dei super omnia, est causa formalis justificationis.

Patres dicentes charitatem actualem esse perfectam justitiam, intelligendi sunt dispositivè, non autem formaliter.

Res. 4. Peccatum mortale de potentia absoluta remitti potest sine ulla physica mutatione peccatoris, sive actuali, sive habituali.

Ad remissionem peccati sufficeret condonatio ex parte Dei, sicut ad remissionem injuriæ inter homines, satis est, quòd læsus eam condonet.

Resp. 5. De potentia absoluta gratia habitualis potest simul esse in eodem subjecto cum peccato mortali, sive actuali, sive habituali.

Non tamen in eo casu idem homo simul esset justus & injustus, gratus & ingratus; sed simpliciter injustus, & ingratus.

CAP. XI. *Res. 1.* Datur verum aliquod hominis meritum apud Deum, consistens in aliquo actu libero, quique ex auxilio gratiæ procedat.

Illustrantur merita Christi, ex eo quòd suis meritis vim merendi hominibus dederit.

Exemplum Christi ostendit non requiri ad meritum, libertatem quoad specificationem inter bonum & malum.

Res.

64 DE GRATIA HABITUALI.

Ref. 2. Ad meritum non requiritur, ut sit opus à charitate elicitum, vel imperatum.

Actus supernaturales ex se, & sine relatione charitatis, ad finem supernaturalem tendunt.

Ref. 3. Ad proprium meritum requiritur ex parte operantis, gratia sanctificans, & status viatoris.

Requiritur etiam ut hic vivat, conditione mortali; Unde Enoch & Elias extra statum merendi videntur constituti.

Ref. 4. Opera hominis non merentur propriè de condigno præmium æternum, sine aliqua promissione, aut pacto ex parte Dei.

Ne quidem ipsius Christi opera fuerunt actu meritoria citra promissionem Dei: etsi ex se essent valoris infiniti.

Potuerunt tamen Patres antiqui accipere gratiam ex meritis Christi, etsi hæc nondum existerent, nec conditiones ad ea requisitæ, nisi in prævisione Dei.

CAP. XII. *Ref. 1.* Non potest peccator mereri de condigno gratiam sanctificantem, remissionem peccatorum.

Potest tamen eam mereri de congruo, quatenus per actus supernaturales se disponit ut potest, ad eam consequendam.

Verùm hoc meritum non impedit quin gratia homini gratis conferatur, & non ex debito iustitiæ.

Ref. 2. Iustus potest mereri de condigno augmentum gratiæ sanctificantis, idque per actus etiam habitu gratiæ remissiores.

Augmentum gratiæ respondens actibus remissis, tribuitur homini statim in hac vita.

Ref. 3. Non potest homo mereri sive de condigno, sive de congruo perseverantiam strictè sumptam, ut includit quidquid à puncto justificationis ad perseverandum requiritur.

Potest tamen iustus præventus auxiliis gratiæ, mereri

DE GRATIA HABITUALI. 65

mereri de congruo alia auxilia ad perseverandum
necessaria, idque successive, & veluti per partes.

Res. 4. Justus non potest mereri de condigno repa-
rationem post lapsum, seu ut Deus eum liberet à
peccato mortali, si in illud inciderit.

Probabile tamen est, justum interdum mereri de
congruo, per longam in bonis operibus perseveran-
tiam, ut Deus illius misereatur, si è gratia exci-
derit.


Potest etiam justus peccatori de congruo mereri
primam gratiam, per quam ad Deum efficaciter con-
vertatur.

Res. 5. Probabile est hominem mereri de condi-
gno primam gloriam, per actum illum quo extra sa-
cramentum ultimatè ad gratiam habitualem dispo-
nitur.

Quare talis actus considerari debet, non ut natu-
rà antecedit gratiam habitualem, sed ut ab ea for-
matur, & dignitatem quandam moralem acci-
pit.



THE-



THESES
UNIVERSÆ
THEOLOGICÆ
Speculativæ, Sacramentalis, &
Moralis.

PARS SECUNDA.

Continens summam accuratissimam Ideæ
Theologiæ Sacramentalis.

LIBER I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAP. I. **S**acramentum est signum sensibile, divini-
Ref. 1. **S**tus institutum, longo tempore durans,
sanctitatem aliquam, saltem externam, conferens, &
veram significans.

Quamvis Deus actibus internis daret vim confe-
rendi, & significandi gratiam, tale signum non esset
hominibus accommodatum, adeoq; nec sacramen-
tum propriè dictum.

Sacrificium immediatè instituitur ad colendum
Deum, Sacramentum verò ad sanctificandos aliqua
ratione cultores Dei.

A ratione sacramenti excluduntur sacramentalia;
cùm gratiam sanctificantem significare nequeant.

Ref. 2. Quamvis non sit de ratione sacramenti, ut
constet rebus & verbis; de factò tamen omnia, novæ
legis sacramenta rebus & verbis perficiuntur.

Verùm

Verum in matrimonio verba sumi debent aut proprie, aut æquivalenter pro signis quibusdam consensum exprimentibus.

In sacramentis res & verba se habent per modum materiæ & formæ, partiumque essentialium quibus constituuntur.

Inter materiam & formam sacramentorum sufficit similtas moralis, in aliis major, in aliis minor, juxta varias eorum condiciones.

Ref. 3. Sacramentum non valet, quando materia aut forma substantialiter mutatur: secus si tantum mutetur accidentaliter.

Materia dicitur mutari substantialiter, tum quando mutatur secundum speciem, tum quando non potest assumi ad usum ad quem usurpari solet.

Dicitur verò mutari accidentaliter, quando remanet quoad prædicta, mutatur autem secundum quædam accidentia, ut si aqua non benedicta ad baptismum assumatur.

Eodem modo forma sacramentalis mutatur substantialiter, quando sensus illius substantialis non manet: accidentaliter verò, quando verba tantum mutantur.

Ille peccat mortaliter, qui materiam aut formam sacramentorum substantialiter mutat: & qui sine gravi necessitate assumit materiam, aut formam dubiam.

CAP. II. Ref. 1. Non fuerunt de facto instituta quedam sacramenta pro statu innocentia.

Si status ille diu durasset, sacramenta potuissent congruè in eo institui. An tamen de facto instituenta forent, incertum.

Ex hypothesis quod: aliqua tunc sacramenta forent instituenda; non tamen quæ de facto in lege nova fuerunt instituta.

Ref. 2. In lege naturæ fuit institutum aliquod remedium pro salute parvulorum, quod antè circumcissionem erat commune masculis & puellis.

Illud remedium erat aliquid sensibile ad gratiam conferendam ordinatum, adeoque verum sacramentum.

Erat etiam ex ordinatione divina determinatum in specie, sicut & sacramenta antiquæ & novæ legis.

Ref. 3. Varia fuerunt sacramenta in veteri lege, ad aliquam sanctificationem populi Judaici instituta.

Ea omnia ad tria capita reduci possunt, quædam enim constituebant homines in statu colendi Deum: aliâ spectabant ad nûm. eorum quæ Deo offerebantur: & alia ad removenda impedimenta divini cultus.

Circumcisio vocatur legis antiquæ sacramentum, licet multis annis ante datam legem instituta fuerit.

Erat figura baptismi, sicut Agnus Paschalis, Eucharistiæ, Purificationes, pœnitentiæ, & consecrationes ordinationis sacerdotalis, nulla tamen fuit tunc figura confirmationis, vel unctionis extremæ, vel matrimonii.

Ref. 4. Congruum fuit in lege nova institui quædam sacramenta, eaque à veteribus distincta.

Sunt numero septem. Baptismus Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium.

Si spectetur ordo naturæ sacramenta illa modo jam dicto numeranda sunt: at ordine dignitatis Eucharistia aliis omnibus longè antecellit.

CAP. III. *Ref. 1.* Sacramenta antiqua fuerunt immediate instituta à Deo, & nova à Christo.

Nec refert quod non omnia ad sacramentorum essentiam spectantia, habeantur in scriptura: sufficit enim quod habeantur ex traditione.

Ref. 2. Nulla creatura potest instituere sacramenta gratiam conferentia, potestate quam vocant auctoritatis.

Potest tamen homo ex commissione Dei, determinare

nare

nare rem aliquam; vel actionem sensibilem, ut sit signum gratiæ, eamque infallibiliter conferat.

Ref. 3. Purus homo non potest habere potestatem excellentiæ, circa sacramenta; tam perfectè ac Christus.

Potest Deus conferre homini talem potestatem, modo aliquo inferiori: quam tamen de facto nemini hætenus concessit.

Per indulgentias, satisfactiones Sanctorum nobis applicantur in remissionem pœnæ temporalis: at merita Christi in sacramentis nobis applicantur ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ.

Verum potestas simplicis ministerii ad conficienda, & administranda sacramenta; Ecclesiæ à Christo fuit concessa.

CAP. IV. *Ref. 1.* Minister ordinarius sacramentorū est homo solus. Si tamen Angelus bonus sacramentū conficeret, illud ratum habendum esset, non si malus.

Non quilibet homo est minister ordinarius sacramentorum, sed tantum viator. Si tamen beatus aliquod sacramentum conficeret, conferetur validè agere nimirum, ex speciali commissione Dei.

Non omnis homo viator est minister ordinarius sacramentorum, sed ille tantum qui ad id muneris est specialiter deputatus.

Ref. 2. Ad valorem sacramenti, fides ministri non est necessaria; adeoque hæreticus e character insignitus potest illud validè administrare.

Non etiam probitas ministri ad hoc necessaria est: quò fit ut non sit melior: baptismus à meliori datus.

Nec mirum quod carens gratiæ, eam tribuat, cum agat ut causa instrumentalis, non ut principalis.

Ref. 3. Ad valorem sacramenti necessarium est, ut minister intendat facere quod facit Ecclesia.

Non sufficit autem quod intendat facere actum externum, sed requiritur ut velit facere talem

actum ut sacrum, & religiosum, qualē facit. Ecclesia.

Baptismus ab Athanasio, dum puer esset, collatus, ejusmodi intentione destitutus non fuit.

Ref. 4. Ad valorem sacramenti non requiritur in ministro intentio actualis, nec habitualis sufficit, etsi hæc in suscipiente sufficiat.

Ad hoc tamen sufficit intentio virtualis, imò defectu actualis, necessaria est.

Valet sacramentum datum sub vera conditione de presenti, aut de præterito; non de futuro, si matrimonium excipias.

Ref. 5. Ut valeat sacramentum intentio ministri debet ferri in personam, aut materiam præsentem.

Error substantialis personæ non irritat sacramentum, nisi in matrimonio, modò persona præsens sit capax sacramenti, & minister velit illud ei quæcunque sit, conferre.

Ref. 6. Si desit sufficiens intentio, quando verbum aliquod essentialē formæ profertur, nullum est sacramentum; etsi dum reliqua proferuntur, adfit.

Secus dicendum, si intentio desit tantum, quando profertur verbum aliquod accidentale.

Quando sacramentum nullum fuit, defectu intentionis ministri, illius effectus à Deo non suppletur.

CAP. V. Ref. 1. Sacramentum administrare in statu peccati mortalis, est per se loquēdo, peccatū mortale.

Illi tamen gravius peccant qui tenentur ex officio sacramentum administrare, si illud in statu peccati mortalis conferant.

Etsi nonnulli hoc extendant etiam ad eos, qui in peccato Eucharistiam aliàs confectam administrant, oppositum tamen aliis placet.

Verum id non debet extendi ad parochos, in peccato assistentes matrimonio: quamvis secus dicendum sit de ipsis contrahentibus, qui peccant, quatenus in pravo statu hoc sacramentum conficiunt, & suscipiunt.

Neque ad eos qui exercent sacramentalia, vel actus ordinum

ordinum etiam majorum; vel qui prædicant, aut in iudicio sententiam proferunt, in peccato mortali.

Res. 2. Non eadem dispositio necessaria est in eo qui peccati mortalis est reus, ad legitimam administrationem omnium sacramentorum.

Ut alia sacramenta licitè administrantur sufficit, quòd minister de peccatis sit contritus: ut autem quis dignè sacrum celebret, requiritur confessio mortali, propter communionem; nisi in certis casibus, de quibus infra.

Qui sine confessione peccati mortalis celebrat, non committit nisi unum peccatum mortale, idem dic de eo qui sine contritione talis peccati, alia sacramenta administrat.

Res. 3. Ad valorem sacramenti necessaria est in suscipiente adulto, qui habet actu, vel aliquando, habuit usum rationis, voluntas saltem habitualis illud suscipiendi.

Unde homo omnino invitus, invalidè sacramentum suscipit; non autem si tantum sit invitus secundum quid, ut si meru ad hoc compellatur.

Quòd intellige de susceptione sacramentorum in usu consistentium: nam Eucharistia non pendet in fieri à voluntate suscipientis.

Gratia tamen non est necessaria in suscipiente, ad valorem sacramenti: unde hæretici validè baptizari, & ordinari possunt.

Res. 4. Ut peccator per sacramentum recipiat gratiam, de peccato in quo versatur, dolere debet.

Talis dolor debet esse supernaturalis; non tamen necessaria est contritio, sed attritio sufficit, etiam cognita, tam ad poenitentiam, quam ad baptismum.

Ut autem justus per sacramentum accipiat augmentum gratiæ, non requiritur ulla dispositio actualis, præterquam in sacramento poenitentiae.

Res. 5. Licitè possum petere sacramentum à meo
d. 4. pastore,

pastore, & ab alio parato sacramentum conferre, et si probabiliter putem eum in administratione peccaturum.

Imò & interdum à non parato, ut absolutionem in mortis articulo, vel etiam in Paschate, aut aliàs ex devotione speciali.

Sacramentum licitè peti potest ex justa causa, à ministro excommunicato, quamdiu ab Ecclesia toleratur. Imò à non tolerato, non modo Baptismus, & Pœnitentia, sed etiam Eucharistia in mortis articulo sumi potest.

CAP. VI. *Ref. 1.* Sacramenta novæ legis conferunt gratiam, idque ex opere operato, & immediatè.

In susceptione sacramenti novæ legis duplex confertur gratia, alia respondens dispositioni, alia ipsi sacramento: cùm antiqua nullum gradum gratiæ conferrent adultis, nisi ratione dispositionis.

Ref. 2. Sacramenta novæ legis non producant gratiam physicè, sed tantùm moraliter.

Refelluntur qui dicunt sacramentum producere physicè gratiam, secundum reale aliquod indivisibile terminativum partium ejus.

Rejicitur etiam potentia obedientialis activa, quæ ponitur in qualibet re, ad quoscunque effectus producendos.

Sacramenta antiqua propriè non continebant moraliter merita Christi, aut pretium gratiæ, sicut nova.

Ref. 3. Gratia sacramentalis propria cujusque sacramenti, addit aliquid supra habituales sacramentis omnibus communem.

Illud quod additur, non est habitus à gratia habituali realiter distinctus, sed respectus ad auxilia actualia ad finem sacramenti necessaria.

Ref. 4. Sacramenta vetera non conferebant gratiam ex opere operato, nec remissionem peccatorum, nisi legalem.

Per usum sacramentorum, & sacrificiorum in ea lege

DE SACRAMENTIS IN GEN. 73

lege conferebatur gratia ex opere operantis: sicut & per exercitium aliorum bonorum operum.

CAP. VII. *Res. 1.* Quædam novæ legis sacramenta characterem imprimunt: nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo:

Res. 2. Character est ens reale, absolutum, & ab anima realiter distinctum:

Res. 3. Pertinet directè ad prædicamentum qualitatis, ita ut etsi sit entitas supernaturalis, univoce cum qualitatibus naturalibus conveniat.

Quod autem dicitur corruptibile & incorruptibile genere differre, intelligi debet de genere Physico, non de Logico.

Character non pertinet ad secundam qualitatis speciem, in qua ponitur potentia physica, sive activa, sive passiva: sed ad primam, in qua est habitus & dispositio.

Homo potest benè, aut malè uti caractere in genere moris, non in genere naturæ.

Res. 4. Character immediatè recipitur in ipsa essentia animæ, non autem in potentiis illius.

Dicitur lumen, non quod sit in intellectu, sed quia eo insignitus, intelligit se ad speciale aliquod munus deputatum esse.

Character est indelebilis, non solum in hac vita, sed etiam post mortem: & prius est de fide, non posterius.

CAP. VIII. *Res. 1.* In Ecclesia est potestas instituendi sacramentalia, & obligandi fideles sub peccato mortali, ad certas ceremonias in sacramentorum administratione servandas:

Libertas Christiana non liberat homines ab obedientia Principibus sæcularibus, & Prælati Ecclesiæ debita, sed à gravi servitute legis moisaicæ.

Res. 2. Sacramentalia non habent vim delendi peccata venialia, ex opere operato, sed ex opere operantis duntaxat.

Benedictio Episcopi habet adjunctam indulgentiam aliquam, non autem remissionem ullius culpæ. In quibusdam sacramentalibus est vis supernaturalis, eaque moralis, expellendi Dæmones, quæ juvatur ministri sanctitate, & magis orationibus imperioque Ecclesiæ.

DE BAPTISMO.

CAP. IX. **B**aptismus physicè spectatus, defini potest. *Ref. 1.* Test: Exterior corporis ablutio, facta sub præscripta verborum forma.

Metaphysicè verò spectatus, sic definitur. Est sacramentum novæ legis, ad regenerationem spiritualem hominum institutum.

Ref. 2. Materia remota Baptismi est aqua vera & naturalis, sive sit maris, sive fluminū, sive fontium, &c. Aqua ex floribus, vel herbis stillata, cerevisia, & similes liquores non sunt materia apta ad Baptismum.

Ref. 3. Materia proxima Baptismi est ablutio, ex aqua elementari, quæ proinde debet esse usualis, & per corpus moveri.

Requiritur etiam ut aqua corpus baptizati realiter, & immediatè contingat: non quidem totum, sed quantum sufficit ut denominetur ablutus.

Potest validè dari Baptismus, ablutione, vel infusione, vel immersione. Quisque tamen debet servare ritum suæ Ecclesiæ.

Caput abluere debet, posset tamen infans manum extrahens ex utero, secundum illam baptizari, sed postea si nasceretur, esset iterum sub conditione baptizandus.

Ref. 4. Forma Baptismi apud Latinos hæc est: Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Non est necesse ad valorem baptismi, ut persona ministri directè exprimat, sive explicitè, sive implicitè.

placitè: oportet tamen exprimere actum baptizandi, & personam quæ baptizatur.

Requiritur etiam distincta, & expressa invocatio trium personarum Trinitatis: Baptismusque dandus in earum nomine, non in nominibus.

Baptismus esset iterandus, sub conditione, si quis eum conferret in nomine Genitoris, Geniti, & Precedentis ab utroque.

Res. 5. Homo semel validè baptizatus, non potest iterum validè baptizari.

In dubio probabili, an aliquis sit baptizatus, baptismus potest ei conferri sub conditione.

CAP. X. *Res. 1.* Baptismus fuit institutus ante Passionem Christi, nimirum quando Christus à Joanne in Jordane baptizatus fuit.

Baptismus adultis est necessarius ad salutem, vel in voto.

Res. 2. At parvulis Baptismus re susceptus, ad salutem est necessarius, nisi in casu martyrii, quando scilicet in odium Christi occiduntur.

Fides verò parentum infanti signo aliquo externo, defectu aquæ applicata non sufficit ad salutem.

Res. 3. Datur præceptum divinum suscipiendi Baptismum, quo omnes adulti obligantur.

Adulti tenentur ex jure divino Baptismum suscipere, quamprimùm id commodè fieri potest.

Qui infantium curam gerunt, debent dare operam ut statim baptizentur: peccantque graviter, si diu eorum baptismum, sine gravi causa, differant.

Res. 4. Baptismus non fuit necessarius ad salutem, ante mortem Christi, nec statim à morte, aut resurrectione illius; sed tantùm à die Pentecostes.

Quod dicitur legem antiquam per mortem Christi fuisse abrogatam, intelligendum est, inchoative.

Res. 5. Gratia & remissio peccati originalis, dabatur olim parvulis in circumcissione: et si ea primario esset instituta, ut populum Dei à cæteris gentibus distingueret.

Hæc remissio non fiebat ex opere operantis, ob fidem ministri, vel parentum, nec ex opere operato, sed ex speciali Dei misericordia erga parvulos.

Ref. 6. Infantes per baptismum sanguinis salvari possunt, sine baptismo aquæ, ut patet exemplo Innocentium, quos omnes fuisse circumcisos probabiliter dici non potest.

Idem dicendum de adultis. Quo refertur illud ex Augustino sumptum, injuriam facit martyri, qui orat pro martyre.

Adultus tamen tenetur præmittere Baptismum, si potest: & si est in peccato mortali, conteri; quamvis cum bona fide attritio sufficiat.

CAP. XI. *Ref. 1.* Episcopus ipso jure habet ordinariam potestatem quoslibet baptizandi in sua dioecesi; simplex vero sacerdos minimè, ac multò minus diaconus.

Potest ex causa rationabili, munus baptizandi etiam solemniter, Diacono à Pastore delegari.

Diaconus sine commissione solemniter baptizans, etiam in extrema necessitate, irregularitatem contrahit.

In extrema necessitate quilibet potest baptizare; ut tamen id licitè fiat, debitus ordo servandus est, & cætera sint paria.

Ref. 2. Quando plures ministri simul aliquè baptizant, ut cause totales, baptismus valet; si omnes simul perficiant. Peccant tamen graviter, ita baptizantes.

At non valet baptismus, si plures ministri se habeant, ut cause partiales; ita scilicet, ut unus baptizatum abluat, & alius formam proferat.

Ref. 4. Requiritur ad baptismum, ex antiqua consuetudine, ut aliquis baptizatum de sacro fonte levet: nempe unus vir, & una foemina.

Contrahitur cognatio spiritualis inter susceptores, & baptizatum, illiusque patrem & matrem; non autem inter susceptorem, & susceptricem.

Munus

Munus susceptorum obire nequeunt Regulares, nec parentes baptizati, nec hæretici, aut publicè excommunicati.

Res. 4. Infantes rationis usû carentes sunt capaces; baptismi præceptum autem instruendi baptizandos, intelligitur de adultis.

In parvulis non est necessarius motus fidei, ad effectum baptismi: nec parentum voluntas, ad valorem illius.

Res. 5. Filii infidelium baptizatorum, invitis parentibus, baptizari possunt, non autem filii non baptizatorum, etiam si quoad dominium temporale subditi sint Ecclesie.

Secus dicendum de filiis infidelium, qui sunt servi, seu mancipia Principum Christianorum.

Imò & de filiis non servorum, in extrema eorum necessitate, & si alter eorum parens consentiat.

CAP. XII. *Res. 1.* In Baptismo infunditur gratia habitualis, cum virtutibus infusis: quod non tantum de adultis, sed etiam de parvulis intelligendum est.

Æqualiter dispositis æqualis gratia in Baptismo confertur, inæqualis verò iis qui inæqualiter se habent.

Unde omnibus infantibus in Baptismo æqualis gratia infunditur. Nec dici potest quod Deus eos prædestinaverit ad inæqualem gratiam per Baptismum obtinendam.

Res. 2. Per Baptismum tollitur omnis macula, sive peccati originalis, sive actualis.

Item omnis pœna peccatis debita, in inferno, aut purgatorio lüenda: non autem quæ ex humana lege incurritur, aut quæ ex principiis naturæ oritur.

Res. 3. Effectus baptismi impeditur per fictionem susipientis, qua ablata, Baptismus præteritus incipit sortiri suum effectum.

Quòd ut fiat, sufficit attritio supernaturalis, si baptizatus in susceptione baptismi, aut post, non peccavit mortaliter.

78 DE CONFIRMATIONE.

At si tunc peccavit mortaliter, requiritur contritio ad tollendam fictionem, aut certe attritio cum confessione sacramentali.

Res. 4. Variæ sunt ceremoniæ Baptismi, quarum aliæ præcedunt, aliæ comitantur, aliæ sequuntur Baptismum.

DE CONFIRMATIONE.

CAP. XIII. **C**onfirmatio est verum novæ legis sacramentum, à Christo Domino institutum.

Res. 1. Institutio Confirmationis fuit inchoata in nocte cœnæ, & post resurrectionem, quando Christus Apostolos fecit Episcopos, absoluta.

Res. 2. Materia remota Confirmationis est chrisma, quod ex oleo olivarum, veroque balsamo componi debet.

Ad essentiam Confirmationis requiritur, ut chrisma ab Episcopo sit benedictum: non tamen eodem anno, etsi hoc sit de præcepto.

Res. 3. Materia proxima Confirmationis est unctio ex chrismate, sine qua mera manuum impositio ad valorem sacramenti non sufficit.

Ad valorem Confirmationis requiritur, ut unctio fiat in modum Crucis, idque in fronte confirmati.

Item ut fiat manu Episcopi; quod autem fiat pollice illius dextro, id tantum est de necessitate præcepti.

Res. 4. Forma Confirmationis est hæc: Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.

Ut valeat, exprimenda est persona quæ confirmatur, actus confirmantis, ut ab illo procedit, & tres personæ Trinitatis distinctè invocandæ.

Item utrumque illud verbum, signo, confirmo exprimendum est, duoque illa, Chrismate salutis, apponenda.

Illà forma Græcorum, signaculum doni Spiritus sancti, non videtur sufficiens ad valorem sacramenti.

CAP. IV.

DE CONFIRMATIONE. 797

CAP. XIV. *Ref. 1.* Solus Episcopus est minister ordinarius sacramenti Confirmationis.

Episcopus verè consecratus, excommunicatus, aut suspensus, vel etiam hæreticus sit, Confirmationem validè conferre potest.

Tripliciter explicatur, quòd olim revertentibus ab hæresi manuum impositio fieri solebat.

Ref. 2. Simplex sacerdos potest esse minister extraordinarius Confirmationis, ex delegatione summi Pontificis.

Dare dictam facultatem simplici Sacerdoti, spectat solùm ad summum Pontificem.

Quod dicitur, Episcopum posse in sua Diocesi, quod potest Pontifex in toto orbe, intellige de potestate ordinis.

Ref. 3. Nullus nisi baptizatus, validè confirmari potest, omnes tamen baptizati ritè confirmari possunt.

Infantes non debent confirmari, extra gravem necessitatem, ante usum rationis: nec opus est expectare duodecimum annum, sed anno septimo confirmari possunt.

Amentes qui nunquam usum rationis habuerunt, sunt confirmandi: imò & qui habuerunt, si constet eos non esse in peccato mortali.

Ref. 4. Nemo tenetur ex præcepto, siue divino, siue ecclesiastico suscipere sacramentum Confirmationis.

Per accidens tamen urget hoc præceptum, si quis se putaret sine Confirmatione, tentationes contra fidem superare non posse.

Non est peccatum mortale suscipere ordines ante Confirmationem, videtur tamen veniale.

Ref. 5. Duo sunt effectus Confirmationis, character à baptismali realiter distinctus, & gratia perfectior baptismali.

Confirmatio iterari non potest, non tamen irregularitatem contrahit, qui secundò eam suscipit, nec qui eidem homini eam bis administrat.

Hac

Hoc sacramentum fictè susceptum, ex probabili sententia, recedente postea fictione, confert gratiam.

Res. 6. Variæ sunt caeremoniæ Confirmationis, quarum aliæ præcedunt, aliæ comitantur, aliæ sequuntur illius administrationem.

LIBER II.

DE EUCHARISTIA.

CAP. I. Eucharistia varia habet nomina, quæ ad *Res. 1.* 4. capita revocantur. 1. ad institutionem illius, quomodo vocatur Mensa, Cœna Domini, & Eulogia. 2. ad rem contentam; quomodo vocatur Panis vivus, & cœlestis, Sanctum Domini, Sacramentum sacramentorum, &c. 3. ad effectus, quomodo vocatur Communio, Pax, Viaticum, Pretium nostrum. 4. ad representationem, quomodo vocatur Memoriale passionis Christi.

Res. 2. Eucharistiæ sacramentum fuit institutum in ultima cœna, quæ Christi passionem præcessit.

Congruum fuit ut tunc institueretur post manducationem agni paschalis, qui erat figura illius.

Res. 3. Eucharistia consistit in re aliqua permanente; nempe in materia consecrata.

Verba consecrationis non sunt propriè de essentia hujus sacramenti in facto esse, sed tantum in fieri.

Ufus etiam non est pars essentialis hujus sacramenti, etsi in eo gratia conferatur.

Sacramentum Eucharistiæ ex speciebus panis & vini; & ex corpore & sanguine Christi essentialiter, & adæquatè constituitur.

Res. 4. Species panis & vini constituunt unum specie sacramentum: sicut cibus & potus unum specie convivium moraliter componunt.

Imò plures species ejusdem rationis simul sumpta,

ptæ, non nisi unum numero sacramentum moraliter
constituunt: sicut plura fercula unum convivium.

CAP. II. *Ref. 1.* Panis & vinum sunt materia ex qua
fit sacramentum Eucharistiæ.

Ejusmodi panis debet esse triticeus, ex aqua natu-
rali confectus, coctus ad ignem, & usualis.

Vinum verò debet esse virgineum, aptumque ad
usum, seu potabile, saltem in actu primo, ut est vi-
num congelatum.

Ref. 2. Ex præcepto Ecclesiæ parum aquæ natura-
lis, ante oblationem, vino consecrando, tempore sa-
crificii, misceri debet.

Ea, si non est in vinum conversa, quando fit conse-
cratio, remanet quoad propriam substantiam, nec
immediatè mutatur in sanguinem Christi.

Quo casu, forma cadit supra materiam consecra-
bilem, etsi alia adjuncta sit, adeoque non est falsa,
nec sacrilega.

Ref. 3. Materia consecrationis debet esse moraliter
præsens sacerdoti, idque sufficit ad valorem sacra-
menti.

Ad talem præsentiam requiritur ut materia præ-
sentis distet à consecrante, ita ut possit illam per verba
consecrationis designare.

Debet etiam hæc materia à consecrante designari
in individuo, unde si plures sunt hostiæ quàm de-
signata, aliæ non consecrantur.

Quod si ex decem hostiis præsentibus quatuor in-
confuso consecrare velit, eas in particulari non de-
signando, nulla est consecrata.

Unde ne tale quid contingat, debet sacerdos habe-
re intentionem consecrandi totam materiam præ-
sentem.

Ref. 4. Substantia panis, & vini non manet in hoc
sacramento, post consecrationem.

Unde non manet ibi materia panis, nec forma il-
lius, si est substantialis, neque ejus existentia.

CAP. III. *Ref. 1.* Consecratio fieri debet per ver-
ba illa,

ba illa, Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei.

Adeoq̄ue errant hæretici qui dicunt, aut verba non requiri, aut tantum requiri ad instruendum populum, aut per ea non fieri conversionem.

Res. 2. Consecratio panis validè perficitur solis illis verbis, Hoc est corpus meum.

Et vini consecratio illis, Hic est calix sanguinis mei, nec quæ sequuntur ad valorem sacramenti sunt necessaria, esto ex gravi præcepto recitari debeant.

Res. 3. Sacerdos profert verba consecrationis recitativè, seu historicè, ea nimirum referendo ut à Christo prolata.

Nequè propterea opus est ut proferantur circa eandem materiam, circa quam à Christo sunt usurpata.

Res. 4. Verba consecrationis proferuntur etiam significativè, quatenus sacerdos ea profert in persona Christi, cuius corpus & sanguinem significant.

Ut sacerdos ea verba verè proferat, satis est quòd in fine prolationis verborum, corpus & sanguis Christi sub speciebus constituentur.

Res. 5. Per pronomen, hoc, in verbis consecrationis non demonstratur panis; species tamen illius indirectè demonstrantur.

Directè ergo per illud demonstratur corpus Christi, etsi ibi non sit, nisi cum verba sunt finita: neque inde sequitur, quod propositio sit identica.

Res. 6. Sub specie panis, ex vi verborum, ponitur corpus Christi; sanguis verò, anima, & divinitas per concomitantiam.

Formæ partiales, ex vi verborum ponuntur sub speciebus panis, cum corpore Christi; quod tamen non dicit subsistentiam, sed rationem partis duntaxat.

At sub specie vini ponitur sanguis, ex vi verborum; corpus autem, anima, & divinitas solum per concomitantem.

Probabilis est sententia quæ docet, quantitatem ipsam Christi poni in Eucharistia; ex vi verborum.

CAP. IV. *Ref. 1.* Corpus Christi est realiter, & substantialiter præsens in Eucharistia.

Non implicat quod idem corpus simul sit in pluribus locis, & quod ex mutationes illi conveniant, quæ duobus corporibus convenire possunt.

Ex reali præsentia Christi exercetur fides, roboratur spes, accenditur amor in Christum; aliæque virtutes non exiguum incrementum sumunt.

Ref. 2. Potest idem corpus virtute divina, simul poni in diversis locis circumscriptivè.

Quod si fieret, potius dicendum esset, corpus comprehendi à duobus locis, quàm comprehendi, & non comprehendi à quolibet ex illis.

Ref. 3. Vera aliqua & realis actio versatur circa corpus Christi, ut est in Eucharistia.

Actio illa non est mera Christi adductio, terminata ad illud ubi quod habet in Sacramento.

Sed est vera & realis ejus productio, seu reproductio, aut, ut alii loquuntur, replicatio.

Ref. 4. Inter positionem Christi in Eucharistia, & definitionem panis, est connexio aliqua; ita scilicet ut illa sit causa istius.

Positio corporis Christi non habet connexionem physicam cum definitione substantiæ panis, sed tantum moralem.

Quæ in eo consistit, ut ex modo quo Christus hic ponitur, nempe per verba consecrationis, substantia panis infallibiliter destruat.

CAP. V. *Ref. 1.* Inter corpus Christi, & species necessaria est unio aliqua, ut ex iis fiat unum Sacramentum.

Non opus est ut inter illa sit unio physica, sive formalis, sive effectiva, sed moralis sufficit.

Ut movens species, moveat corpus Christi per accidens, sufficit quod inter Christum, & species sit realis conjunctio; qualis ferè inter continens, & contentum reperitur.

Totus.

Ref. 2. Totus Christus est sub singulis partibus specierum, post earum divisionem, & etiam ante divisionem. Imò sub singulis earum punctis, si dantur.

Præsentia Christi in hostia consecrata est actu, & formaliter una; virtualiter verò multiplex, quot nimirum sunt partes, in quas hostia secari potest.

Corpus Christi posse constitui totum in parvula hostia, intelligitur ex mysteriis Nativitatis, Resurrectionis, & Ascensionis Christi.

Ref. 3. Potest sacerdos localiter movere corpus Christi per accidens, ad motum specierum: non autem per se, seu sine ordine ad species.

Christus ut est in sacramento, potest localiter per se à Deo moveri, & probabiliter ab Angelo.

Ipse Christus non potest se movere localiter motu progressivo: motu verò simplici potest, etiam naturæ viribus.

Ref. 4. Corpus Christi, ut est in Eucharistia, ab agentibus creatis naturaliter alterari non potest.

Quod ita intellige, ut Christi corpus non possit in sacramento alterari per se, nec per accidens, alteratis speciebus.

Unde Christus non potest ibi crescere, vel decrescere; nec naturaliter corrumpi, nec unum illius membrum agere in aliud.

Ref. 5. Christus, ut in Eucharistia existens, non potest naturaliter videri oculo corporeo.

Probabile tamen est posse videri supernaturaliter: quamvis oppositum etiam non careat probabilitate.

Ref. 6. Christus, ut in sacramento existens, non potest naturaliter alterare res externas, vel operationes sensuum elicere.

Agendo tamen de potentia extraordinaria, negandum non videtur quin utrumque possit.

Potest Christus intelligere in sacramento, per scientiam beatificam, & infusam; adeoque & elicere

cere operationes voluntatis, ejusmodi scientiam sequentes.

Ref. 7. Christus non definit esse in hoc sacramento, per solam denominationem extrinsecam ad corruptionem specierum; nec per solam amissionem presentie sacramentalis.

Quare definit per desitionem suae substantiae, ut in sacramento reproducta, quatenus Deus retrahit concursum, quo illam sub speciebus conservabat.

CAP. VI. *Ref. 1.* Accidentia panis, & vini remanent in hoc sacramento, post consecrationem: quod, ex fide, intelligendum de omnibus accidentibus, etiam occultis.

Ejusmodi accidentia existunt sine subjecto substantiali; quantitas tamen est subjectum aliorum accidentium.

Ref. 2. Non est admittendus modus aliquis positivus, quo accidentia separata per se existant, more substantiae.

Quantitas à Deo efficienter sustentata, non minus apta est ad varias mutationes efficiendas, vel recipiendas, quam si per modum positivum existeret.

Ref. 3. Accidentia separata conservantur à Deo extra subjectum, majori influxu, quam in subjecto.

Causalitas physica subjecti etsi non sit effectiva, sed tantum materialis, à Deo supplenda est in diverso genere.

Ref. 4. Accidentia separata possunt eodem modo agere ac ante. Hinc si aquae guttula misceretur speciebus vini consecratis, ea in vinum converteretur.

Possunt etiam alterari & corrumpi, & ex iis corruptis aliquid generari, ut patet experientia.

Quando vermis generatur ex speciebus consecratis, Deus reprodicit sub earum quantitate, eandem numero materiam, quae ante consecrationem sub illa erat.

Ref. 5. Quando apparet caro, aut sanguis in Eucharistia,

rística, probabile est id quod videtur non esse carnem, aut sanguinem Christi.

Talis apparitio non fit ad deceptionem, sed ad ostendendam veritatem presentiae Christi, quam hic profitemur.

Quando apparet puer, adoratio debet tendere ad Christum, vel sub illa figura, si ibi est, vel ut in coelo existentem.

Christus definit esse sub speciebus sacramentalibus, quando substantia panis non potest sub illis naturaliter conservari.

CAP. VII. *Res. 1.* Nullus nisi sacerdos, validè potest Eucharistiae sacramentum conficere. Plures tamen sacerdotes illud simul validè conficere possunt.

Recens ordinati debent habere intentionem consecrandi, non absolutam, sed conditionatam; si nimirum verba simul cum Episcopo absolvant, alias non.

Aut intentionem generalem proferendi verba consecrationis, juxta sensum & mentem ecclesiae, quaecunque illa sit.

Res. 2. Solus sacerdos habet ex jure divino, potestatem ordinariam dispensandi aliis hoc sacramentum.

Potest sacerdos in casu necessitatis, committere Diacono potestatem distribuendi corpus Christi, non autem clericis inferioribus.

Sacerdos, & Diaconus possunt in necessitate propriis manibus communicare, non autem inferiores clerici.

Res. 3. Ille tantum sacerdos potest legitimè Eucharistiam aliis distribuere, qui in eos habet potestatem ordinariam, vel delegatam.

Religiosi ex privilegio summi Pontificis, licitè administrant Eucharistiam in suis Ecclesiis, quibuscunque fidelibus eò accurrentibus.

Res. 4. Deneganda est cōmunio, peccatori publico eā petenti,

petenti, in loco ubi peccatum illius est, aut brevi futurum est publicum.

Potest tamen communio ei dari publicè, si publicè constet de emendatione illius: & privatim, si privatim.

Quæ doctrina extendi debet ad eos, qui de crimine aliquo sunt suspecti; quando suspicio est violenta, seu moraliter certa.

Deneganda etiam est communio, peccatori occulto privatim eam petenti, si peccatum illius notum sit extra confessionem; non autem si petat publicè.

CAP. VIII. *Ref. 1.* Eucharistia quatuor modis sumi potest. 1. spiritualiter tantum. 2. spiritualiter & sacramentaliter simul. 3. sacramentaliter tantum. 4. materialiter.

Ref. 2. Extat præceptum divinum sumendi Eucharistiam, quod homines obligat in periculo mortis.

Probabile est eum qui sanus Eucharistiam sumpsit, si post unum aut alterum diem incidat in periculum mortis, non teneri iterum ad communionem accedere. Oppositum tamen in praxi consulendum, & sequendum.

Adulti omnes ratione utentes comprehenduntur sub allato præcepto, etiam si non sint baptizati.

Ref. 3. Omnes adulti ratione utentes, tenentur ex præcepto Ecclesiæ, singulis annis communicare in Paschate.

Nominè autem Paschatis intelligitur, tempus currens à Dominica Palmarum, usque ad octavam Paschæ inclusivè.

Regulares non possunt eo tempore dare communionem, quæ fit ad servandum præceptum Ecclesiæ, possunt tamen illam, quæ fit ex devotione.

Qui prævidet impedimentum superventurum in Paschate, non tenetur communionem anticipare.

Qui

Qui accedit tunc ad Eucharistiam, cum peccato mortali, satisfacit præcepto Ecclesiæ, etsi graviter peccet.

Res. 4. Qui ad Eucharistiam accedunt, non tenentur ex præcepto divino, eam sumere sub utraque specie, nisi Missam celebrent.

Olim fideles Eucharistiam manu, viri quidem nuda, foemina verò Dominicali cooperta accipiebant, eamque domum asportabant, ut statuto tempore eam sumerent.

Non propterea datur laicis sacramentum, quoad rem contentam, mutilatum; nec minor gratia quam sumentibus utramque speciem.

Potest laicus ex dispensatione summi Pontificis, sumere speciem vini; imò sine dispensatione, quando aliàs periculum esset, ne talis species in manus hæreticorum deveniret.

CAP. IX. Res. 1. Eucharistia ex præcepto Ecclesiastico, communiter sumenda est à jejuno, ut à temporibus Apostolorum semper observatum fuit.

Ei qui vult accedere ad Eucharistiam, non modo servandum est jejunium ecclesiasticum, sed etiam naturale.

Quod non solvitur etsi aquæ guttula, vel aliquid hujusmodi trajiciatur inadvertenter per modum salivæ.

Res. 2. Potest sacerdos ad perfectionem sacrificii, sumere Eucharistiam non jejunus: tum quando aquam loco vinicalici infusam sumpsit, tunc enim vinum debet consecrare, statimque sumere; tum quando peracta consecratione, recordatur se non esse jejunum, &c.

Qui est in proximo mortis periculo, quacunque ex causa, potest Eucharistiam sumere non jejunus, si commodè aliàs eam sumere nequit.

Res. 3. Accedere ad Eucharistiam cum peccato mortali, per se loquendo est peccatum mortale.

Qui habet conscientiam peccati mortalis, debet,

ex praecepto Ecclesiae, prius confiteri, quam ad Eucharistiam accedat.

Ille peccat venialiter, qui accedit ad Eucharistiam, sine ullo dolore peccati venialis, cujus habet conscientiam; & multo magis qui in actuali sumptione, aliquod peccatum veniale committit.

Ref. 4. Homo peccato mortali obstrictus, potest non praemissa confessione sacramentali, ad Eucharistiam accedere, quando adest necessitas communicandi, nec habet copiam confessarii.

Talis necessitas habet locum, tum in articulo mortis, tum in gravis infamiae periculo, tum quando sacerdos post consecrationem recordatur peccati mortalis non confessi.

Confessarius vero deesse censetur, quando commode adiri non potest, & quando periculum est, ne confessionem revelet.

CAP. X. *Ref. 1.* Eucharistia per se primam gratiam non confert, sed tantum per accidens, esto cibus corporalis nunquam mortuum vivificet.

Habet tamen vim praeservandi a mortalibus, quod fit per auxilia gratiae & externam protectionem.

Ref. 2. Eucharistia per se confert gratiam secundam seu augmentum gratiae, esto suscipiens devotione actuali praeditus non sit.

Eucharistia semper confert homini augmentum spirituale, etsi cibus corporeus non semper comedenti incrementum tribuat.

Ref. 3. Eucharistia confert augmentum gratiae quando sumitur; cum tamen alia sacramenta non conferant effectum nisi finita susceptione.

Eucharistia non confert gratiam finita sumptione, seu manducatione. nec propterea dici potest, quod Christus sit veluti otiosus in stomacho.

Ref. 4. Duae species separatim sumptae in eadem comunione, non plus conferunt gratiae, quam unica.

Tunc autem gratia non datur per partes, sed tota simul, idque dum prima species sumitur.

Ref. 5.

6

Ref. 5. Eucharistia delet peccata venialia, ex opere operato, non tamen per seipsam immediate, sed per gratiam habitualem, adjuncta speciali condonatione.

Item mediantibus actibus charitatis, quos excitat per auxilia actualia, quæ nobis ex opere operato confert.

Ref. 6. Dicitur potest, Eucharistiam habere vim remittendi poenas temporales peccatis remissis debitas, idque ex opere operato, & directe.

Item remittendo culpam venialem, remittere aliquam partem poenæ illi debitæ.

Et si culpæ veniales in alia vita deleantur, non ideo aliquid poenæ ipsis debitæ remittitur.

DE MISSÆ SACRIFICIO.

CAP. XI. **I**N Missa offertur Deo sacrificium propriè

Ref. 1. dictum, quod olim per oblationem panis & vini à Melchisedec factam, & per Agnum Paschalem figuratum fuit.

Christus per sacrificium crucis, satisfecit pro peccatis hominum, quoad sufficientiam; illius autem virtus per sacrificium altaris nobis applicatur.

Ref. 2. Res oblata in Missæ sacrificio est Christus non ut in propria specie existit, sed quatenus est sub speciebus sacramentalibus.

In sacrificiis animalium non res producta offertur, sed corrupta in sacrificio altaris, ut & in oblatione thuris, producta.

Substantia panis & vini materia transiens sacrificii dici potest, quo sensu Patres interdum dicunt, panem & vinum offerri.

Ref. 3. Essentia sacrificii Missæ non consistit in oblatione verbali quæ fit sive ante, sive post consecrationem.

Neque in fractione hostiæ, aut illius sumptione sive à sacerdote, sive à laicis facta.

CON.

DE MISSÆ SACRIFICIO. 91

Consistit ergo in sola consecratione, qua mors Christi perfectè, modo mystico, repræsentatur.

Unde ad essentiam hujus sacrificii spectat, consecrare sub utraque specie. Nec licet unquam quavis ex causa, consecrare extra sacrificium.

Ref. 4. Sacrificium Missæ offerunt, quanquam diversimodè, Christus, sacerdos celebrans, & fideles omnes.

Speciatim verò illi offerre dicuntur, qui sacro interfunt, aut sacerdoti celebranti inserviunt.

Ref. 5. Sacrificium Missæ offerri potest pro fidelibus baptizatis, pro catechumenis, pro paganis, & pro hæreticis nominatim non excommunicatis.

Offerri etiam potest pro existentibus in purgatorio, non tamen pro Beatis (etsi possimus Deo sacrificare in gratiarum actionem pro eorum gloria) nec pro damnatis.

Ref. 6. Sacrificium Eucharistiæ non confert immediate gratiam sanctificantem sive primam, sive secundam, ex opere operato.

Utrumque tamen confert mediatè, conferendo gratias actuales peccatori ad primam justificationem, & justo ad secundam necessarias.

At remittere pœnas peccatis remissis debitas, est maximè proprius illius effectus, qui per se nulli sacramento competit.

Hoc sacrificium conducit ad bona temporalia obtinenda, non ex opere operato, sed per modum impetrationis.

Ref. 7. Sacrificio Missæ, tantum ut offertur à sacerdote, respondet effectus ex opere operato, qui non nisi iis conceditur, quibus ab ipso applicatur.

Fructus sacrificii non applicatus manet in thesauro Ecclesiæ: potest autem sacerdos eum sibi, vel alteri applicare, ex hypothesi quod is pro quo celebrat, non sit dispositus ad eum recipiendum.

92 DE MISSÆ SACRIFICIO.

Arguendi sunt sacerdotes, qui dum non habent stipendium, Missam celebrant pro illo, quem Deus prævidet iis stipendium oblaturum.

Ref. 8. Per hoc sacrificium non confertur nisi effectus finitus tam intensivè, quàm extensivè: ita ut pro pluribus oblatum, non tantum profit singulis, quantum prodesset, si offerretur pro paucioribus.

Etsi res oblata sit infinita, & primarius offerrens infinitus, id non impedit quin effectus, ex voluntate Christi, oblationi adjunctus sit finitus.

CAP. XII. *Ref. 1.* Singuli sacerdotes tenentur ex officio sacrum celebrare: cui præcepto satisfaciunt aliquoties in vita sacrificando.

Feria 5. ante Pascha, & Sabbatho S. licet per se loquendo, quibuscunque sacerdotibus Missam celebrare; non autem die Veneris S.

Non licet sacerdoti pluries in die sacrum facere, nisi in Nativitate Domini, & aliàs in casu gravis necessitatis: debet autem esse jejunus, quando secundo celebrat.

Non licet ordinariè, & seclusis privilegiis, sacrum facere ante auroram, aut post meridiem. Licet tamen ex causa rationabili, sacrum inchoare paulò ante auroram, & paulò post meridiem.

Ref. 2. Ordinariè sacrum celebrari non debet nisi in loco consecrato, aut benedicto, vel certè ad cultum divinum ab Episcopo diocesano designato.

Non licet sacrum facere in Ecclesia polluta, antequam purificetur, nisi ex gravi causa; ut si aliàs Moniales v. c. non essent audituræ sacrum die Paschatis.

Ad celebrationem Missæ requiritur altare lapideum, ab Episcopo consecratum, cui reliquiæ apponi solent, quamvis id non sit de essentia consecrationis.

Non perit consecratio, etsi frangatur, modò hostiam & calicem continere possit. Perit autem in altari

tari fixo, quando lapis superior ab inferioribus amovetur.

Requiritur etiam calix, cum patena, ex auro, vel argento, vel stanno confectus, & consecratus. Perire autem illius consecratio si notabiliter cuppa frangatur, vel inauretur, aut à pede per fractionem separatur.

Res. 3. Non potest sacerdos citra peccatum mortale, sine vestibus sacris, & benedictis celebrare. Possit tamen in necessitate sacrum facere, sine aliqua ex minoribus.

In gravi propriæ vitæ periculo, liceret sacrum facere sine ulla ex vestibus sacris: nisi id fieret in contemptum religionis.

Harum vestium deperditur benedictio, quando ita franguntur, ut amplius non sint aptæ ad usum, ad quem assumi solent. Unde si reficiantur, de novo sunt benedicendæ.

In necessitate potest sacerdos sibi ipsi ministrare. Imò tunc potius debet sine ministro celebrare, quam monialem, aliamve foeminam ad hoc ministerium admittere.

Res. 4. Ut sacrum dignè celebretur, requiritur status gratiæ; imò præmittenda est confessio peccati mortalis, propter communionem.

Non tenetur sacerdos sub peccato mortali, recitare matutinum, antequam Missam celebret.

Res. 5. Defectus essentialis in Missa occurrens supplendus est. Hinc si sacerdos post consecrationem advertit in calice non esse nisi aquam, debet vinum de novo consecrare, & sumere, etsi aquam sumserit.

Debet etiam suppleri defectus sumptionem impediens: ut si aranea in calicem consecratum cadat, si totus sanguis effundatur, si sacerdos post consecrationem moriatur.

Supplendi sunt præterea graves defectus accidentales, ut si sacerdos latinus ante consecrationem ad-

vertat panem esse fermentatum, vel non haberi copiam aquæ, vino miscendæ.

Non tamen leviores; ut si omittatur quædam benedictio, aut genuflexio: & idem dic si quis recitato Evangelio, advertat se Epistolam prætermisissæ.

Ref. 6. Sacerdos ratione justî stipendii, tenetur ex justitia sacrum facere: tantùm abest ut simoniam committat, paciscendo pro tali stipendio.

Tenetur sacerdos unum sacrum facere pro uno justo stipendio, nec potest unico sacrificio, pro duobus ejusmodi stipendiis satisfacere.

Non modo pauperes, sed etiam divites sacro accipere *pro stipendio, & pro fructibus.*

Parochi, ut sic, non tenentur sacra facere pro suis subditis: adeoque possunt stipendia accipere, pro Missis quas celebrant.

Tenentur tamen per se, vel per alios sacrum facere in propria parochia, iis saltem diebus quibus alii tenentur audire sacrum.

Ref. 7. Fideles adulti tenentur ex gravi præcepto, audire Missam Dominicis, & Festis diebus.

Quod intellige de Missa integra, ita ut notabilem illius partem sine causa omittere, v. c. Evangelium, cum iis quæ præcedunt sit peccatum mortale.

Intellige etiam ex probabiliori sententia, de eadem Missa, non de medietate unius, & medietate alterius: ac præterea illius auditione devota, & cum interna attentione conjuncta.

Multa excusant ab hoc præcepto, impotentia, obedientia, consuetudo, charitas, & similia.

LIBER III.

DE POENITENTIA.

CAP. I. **P**oenitentia est sacramentum novæ legis, à
Res. 1. Baptismo distinctum, ut pote habens partes
 essentielles, effectus, & finem distinctum.

Res. 2. Materia remota sacramenti Pœnitentiæ
 sunt, peccata actualia, sive mortalia, sive venialia
 post baptismum commissa.

Materia verò proxima sunt actus pœnitentis, nempe
 contritio, confessio, & satisfactio.

Contritio aliqua & confessio sunt de essentia huius
 sacramenti, non autem satisfactio ut actu imposita,
 vel impleta; sed quoad præparationem animi.

Res. 3. Forma absolutionis sunt verba illa, ego te
 absolvo à peccatis tuis, &c. sufficiunt autem ad essentiam,
 duæ illæ voces, Absolvo te.

Illius formæ sensus est, ego tibi confero gratiam
 sanctificantem, quæ ex se peccata remittit.

Ut licita sit absolutio, ea proferri debet circa personam
 præsentem; imò & ut sit valida.

Res. 4. Hoc sacramentum iterari potest, quoties homo
 peccaverit. Quin & absolutio pluries dari potest
 super idem peccatum.

Non tamen absolutio pluries dari potest super eandem
 confessionem, sicut forma consecrationis proferri non
 potest nisi semel, super eandem materiam præsentem.

CAP. II. *Res. 1.* Ad valorem sacramenti non requiritur
 perfectus ille dolor de peccatis, qui dicitur contritio,
 sed attritio sufficit.

Ut quis detestetur omnia peccata, sufficit attritio
 concepta ex metu gehennæ, aut ex amore beatitudinis,
 vel ex fœditate peccati.

Res. 2. Ut hoc sacramentum valeat, necessaria est

est contritio, seu attritio formalis nec virtualis sufficit.

Debet etiam dolor ille esse efficax, & habere adjunctum firmum propositum non peccandi de cætero; ita ut sola velleitas non sufficiat.

Ref. 3. Præterea necesse est ut ejusmodi dolor sit supernaturalis; esto in aliis sacramentis materia sit res aliqua naturalis ordinis.

Unde qui bona fide accedit ad hoc sacramentum, cum sola attritione naturali, excusatur quidem à peccato sed validè non absolvitur.

Ref. 4. Requiritur rursus ad valorem sacramenti, ut dolor se extendat ad omnia peccata mortalia, quæ in confessione proponuntur.

Imò ad alia commissa, quæ inculpabiliter præmittuntur; quare poenitens debet detestari peccata, ex motivo generali quod ad omnia se extendat.

Quod spectat ad confessionem venialium, attritio se extendens ad unum, non ad aliud, ad illius absolutionem, per se loquendo, valere potest.

Ref. 5. Confessio valet, etsi attritio eam tempore præcedat: ut contingit si quis, dum conscientiam examinat, dolet de peccatis in ordine ad confessionem: & postea dum confitetur, nullum actum doloris elicit.

Imò ut confessio valeat, attritio ex probabiliori & securiori sententia, debet eam præcedere, non modo natura, sed etiam tempore.

Ref. 6. Sacramentum poenitentiae non potest esse validum, & simul informe, seu carens effectu.

Ex quo intelligis, non minorem sufficere attritionem ad valorem sacramenti, quàm ad effectum illius.

CAP. III. *Ref. 1.* Non est de necessitate sacramenti poenitentiae, ut confessio fiat voce humana: est tamen de necessitate præcepti, ut qui loqui potest, voce confiteatur.

Hoc

Hoc præceptum oritur ex consuetudine Ecclesiæ, contra quam agere, nisi ex gravi causa, peccatum est mortale.

Quando præceptum confessionis urget, qui loqui non potest, tenetur aliis signis confiteri; nisi sit periculum evulgationis.

Res. 2. Non est de necessitate sacramenti, ut confessio fiat secretò; imò licitè fieri potest publicè, ut fit in naufragio.

Quod intellige per se loquendo; nam interdum per accidens est peccatum mortale, contra propriam charitatem, publicè confiteri.

Res. 3. Si Titius det generalia signa doloris coram sacerdote, neque aliter possit confiteri, talis confessio sufficit ad valorem sacramenti.

In foro tamen externo nunquam damnabitur Titius tanquam homicida, nisi probetur aliquem hominem in particulari ab eo fuisse occisum.

Res. 4. Etsi Titius dederit generalia illa signa doloris, absente sacerdote, potest sacerdos deinde accedens, etiam rationis usu destitutum validè absolvere.

Imò in eà extrema necessitate, Titius licitè absolvi potest; ac debet; idque consentaneè ad mentem Clementis VIII. & Pauli V.

Res. 5. Qui in confessione negat se fecisse peccatum veniale quod fecit, aut affirmat se fecisse quod non fecit, non peccat mortaliter.

Qui tamen negat se fecisse peccatum mortale quod fecit, aut affirmat se fecisse quod non fecit, peccat mortaliter.

Quod intellige per se loquendo, nam bona fide sibi affingere peccatum mortale, non est peccatum mortale; neque propterea impeditur effectus absolutionis.

Res. 6. Ad valorem sacramenti, species peccatorum mortalium declarandæ sunt in confessione: ut si commisisti furtum, homicidium, &c.

Item eorum numerus: ut quoties fornicationem, quoties furtum commisisti.

Peccata merè interna multiplicantur juxta numerum interruptionum, quæ in eis accidunt: externa verò quoties exterius interrumpuntur.

Res. 7. Circumstantiæ speciem mutantem aperienda sunt in confessione, ut si occidisti hominem, sciendum est an sit clericus; si contra castitatem peccasti, declarandum, an illius voto obstrictus sis.

Probabilius etiam videtur, circumstantias notabiliter aggravantes confitendas esse, ut si mortaliter furatus es, quantum furatus sis, an decem, an centum, an mille nummos, &c.

Idem dico de iis quæ interdum adèò notabiliter minuunt, ut morale iudicium sacerdotis valde immutent.

Ut si fœmina copiam sui fecit Tyranno, ne maritum occideret, neve urbem incenderet, &c.

Res. 8. Multa impediunt ne confessio sit invalida, etsi materialiter non integra. 1. oblivio inculpabilis. 2. periculum mortis. 3. Revelatio sigilli. 4. grave damnum. 5. manifestatio complicitis. 6. addunt aliqui casum reservatum, quod non placet.

Res. 9. Confessio necessaria est ad salutem necessitate medii, iis qui post baptismum, in peccatum mortale lapsi sunt.

In necessitate tamen, defectu confessarii, sufficit ad justificationem votum hujus sacramenti, idque implicitum.

Res. 10. Confessio necessaria est ad salutem, ex præcepto divino, saltem in periculo mortis.

Nectarius non abstulit confessionem secretam, sed publicam cujus occasione ortum fuerat scandalum.

Res. 11. Ex vi præcepti Ecclesiastici, tenentur fideles omnes ratione utentes, confiteri peccata sua semel in anno.

Annus ille computari potest à prima die Januarii, usque.

usque ad diem ultimam Decembris : ita ut quovis anni die huic præcepto satisfieri possit : Fideles tamen solent confiteri in Paschate, quia tunc ad Eucharistiam tenentur accedere.

Qui non confitetur nisi venialia, si postmodum incidat in mortale, tenetur illud eo ipso anno confiteri.

Qui non implevit præceptum confessionis uno anno, tenetur statim initio sequentis anni illud exequi.

Ut satisfiat præcepto Ecclesiastico confessionis, debet confessio esse formaliter integra, & conjuncta cum sufficienti dolore, ac proposito emendæ : debet etiam absolutione actu informari.

CAP. IV. *Res. 1.* Possunt homines in hac vita satisfacere, idque de condigno, pro pœnis remissâ culpa restantibus.

Ut quis de condigno satisfaciat, debet esse viator, & in statu gratiæ : opus verò per quod satisfacit debet esse liberum, honestum, & quodammodo supernaturale.

Possimus satisfacere non tantum per opus consilii sed etiam per opus præcepti, nec solum per opus internum sed etiam per externum.

Ad satisfaciendum requiritur ex parte Dei promissio, qua velit remittere pœnam purgatorii, pro altera longè leviori, in hoc mundo assumpta.

Res. 2. Confessarius tenetur per se loquendo, satisfactionem aliquam pœnitenti, sensibus minimè destituito, imponere.

Non tamen ad hoc tenetur, si pœnitens ante absolutionem abundè satisfecerit : aut si contritio, illius judicatur sufficiens ad remissionem pœnæ debitæ.

Verùm, etiam in iis casibus congruentiùs, & securiùs est injungere satisfactionem aliquam, saltem levem.

Res. 3. Confessarius tenetur satisfactionem aliquo modo

modo proportionatam peccatis imponere, nisi ex rationabili causa inducatur ad levio-rem injungendam.

Pœnitentibus communiter imponi debent opera externa, & ea ad quæ ex præcepto non obligantur; interdum tamen imponi possunt actus interni, & opera aliunde præcepta.

Ref. 4. Teneatur pœnitens pœnitentiam impositam acceptare, etiam pro peccatis aliàs confessis, eamque per se exequi.

Quod intellige, nisi res præcepta talis sit, ut nihil referat, et si per alium executioni mandetur.

Ref. 5. Pœnitentiam immutare potest, tum ille qui eam imposuit, tum alius quivis confessarius, sive sit illius superior, sive æqualis, sive inferior.

Quod probabiliter habet locum, etiam quando peccata, pro quibus imposita est pœnitentia, erant reservata ei qui absolvit.

Verùm sacerdos peccat, si sine causa rationabili, pœnitentiam ab alio injunctam mitiget.

Ref. 6. Satisfactio facta in peccato mortali, sufficit ad integritatem sacramenti.

Et etiam probabiliter, ad illius effectum ex opere operato: esto satisfactio non sacramentalis non habeat effectum ex opere operantis, nisi fiat in statu gratiæ.

Ref. 7. Satisfactio sacramentalis habet vim remittendi, ex opere operato, pœnas temporales peccatis remissis debitas.

Non tamen habet vim eo modo producendi gratiam habitualement, vel auxilia actualia.

Quod intellige de actuali satisfactione, non autem de proposito satisfaciendi, quod ad essentiam sacramenti spectare diximus.

CAP. V. *Ref. 1.* Nullus potest validè conferre hoc sacramentum, nisi sit sacerdos, habeatque jurisdictionem in foro interno.

In mortis tamen articulo, quilibet sacerdos, etiam
excom-

excommunicatus, & non toleratus, validè absolvere potest, à quibuslibet peccatis & censuris.

Potest etiam sacerdos aliunde carens jurisdictione, absolvere tum à venialibus, tum à mortalibus aliàs confessis.

Ref. 1. Summus Pontifex habet in hoc foro jurisdictionem ordinariam, in omnes fideles totius orbis: Episcopus in omnes suos dioecesanos, & Parochus in eos omnes qui in illius parochia degunt.

Episcopus potest absolvere suum subditum, in aliena dioecesi: & Parochus suum, in aliena parochia.

Ad tres prædictos jurisdictionis ordines, jurisdictiones omnes ordinariæ reduci possunt.

Ref. 3. Ut valida sit confessio facta sacerdoti approbato, sufficit licentia Parochi, sine licentia Episcopi, aut summi Pontificis.

Sufficit etiam, à fortiori, licentia summi Pontificis, sine licentia Episcopi, aut Parochi.

Qui in Paschate confitetur Religioso privilegiato, satisfacit præcepto Ecclesiæ, de confessione annua.

Ref. 4. Jurisdictio in hoc foro necessaria ad absolvendum à peccatis, non confertur per ratihabitionem de futuro.

Et quod in jure dicitur, ratihabitionem retrotrahi, intellige in rebus quæ pendent à conditione de futuro: quales sunt contractus humani.

Nec etiam confertur propriè jurisdictio per consuetudinem, sed per consensum tacitum superiorum, ei annexum.

Ad valorem absolutionis requiritur, ut jurisdictio sacerdotis non sit impedita, per censuras Ecclesiasticas.

Impeditur autem in duobus duntaxat casibus, primò quando quis nominatim, & publicè est cen-

sura ligatus, secundo quando censuram incurrit ob notoriam percussorem clericum.

Ref. 6. Requiritur etiam ad valorem absolutionis, ut iurisdictio non sit impedita, vel limitata per casum reservationem.

Pastores ordinarii possunt sibi peccata reservare: etiam Parochi: Quod intellige de peccatis mortalibus, etsi censuram adjunctam non habeant.

Imò & de mortalibus merè internis, quæ de facto reservari non solent: at non de venialibus.

Ref. 7. Superior non debet, nisi ex gravi causa denegare alicui facultatem, ut possit absolvi à casibus reservatis.

Ut quis validè absolvat à peccatis mortalibus nunquam confessis, præter iurisdictionem, requiritur approbatio Episcopi.

Quod tamen non intelligitur de iis qui audiunt confessiones regularium: nec de habentibus beneficium parochiale.

Approbatio danda est ab ordinario confessorii, qui non potest sine gravi causa eam denegare, aut revocare.

Etsi ex probabili sententia, approbatus à suo ordinario, censeatur approbatus pro omnibus Ecclesiis: puto tamen ejusmodi sententiam ad praxim, in Gallia non esse deducendam.

Ref. 8. Ut quis dignè eligatur ad hoc sacramentum ministrandum, debet esse vir probus, & bonæ famæ.

Debet etiam esse instructus scientia Theologiæ moralis, quantum requiritur ut de peccatis rectè judicet in hoc foro.

Unde graviter peccat inferior, qui sine scientia sufficienti confessiones audit; & multo magis superior, qui eum exponit.

Requiritur præterea magna prudentia in hoc animarum medico, ut remedia convenientia ad morbum depellendum applicet.

Ref. 9.

Ref. 9. Confessarius omittens interrogationem, quam iudicat necessariam ne confessio sit mutila, peccat mortaliter.

Ea tantum debet interrogare, quæ probabiliter credit à pœnitente, spectata illius conditione commissa fuisse.

Si ipsi certò constet, pœnitentem non confiteri integre, non debet eum absolvere.

Ref. 10. Nec si constet non esse legitimè dispositum, sive respectu temporis præteriti, sive respectu præsentis, sive respectu futuri.

Censetur autem ritè dispositus qui sequitur opinionem probabilem, licet contrariam opinioni confessarii, qui tunc tenetur eum absolvere.

Ref. 11. Tanta est obligatio servandi sigillum sacramentale, ut nulla ex causa, sive directè, sive indirectè illud violare liceat.

Non potest superior amovere ab officio, quem ex sola illius confessione eo indignum novit, etsi nullum sit periculum exprobrationis, vel revelationis sigilli.

CAP. VI. *Ref. 1.* Peccata mortalia remitti possunt, tum per hoc sacramentum, tum per pœnitentiam, quæ est virtus.

Unde si in scriptura interdum aliquod peccatum dicitur irremissibile; sensus est illud difficile remitti posse.

Ref. 2. Nullus actus pœnitentiæ, præter contritionem, sufficit ordinariè ad remissionem peccati mortalis, extra sacramentum obtinendam.

Dico ordinariè, nam in casu martyrii, attritio bona fide ad hoc sufficere potest.

Ref. 3. Ad remissionem peccati mortalis, necessaria est, per se loquendo, pœnitentia formalis.

Interdum tamen sine ea effectus ille obtineri potest, nempe per amorem Dei super omnia.

Verùm neque tunc obtinetur peccatorum remissio, sine virtuali eorum pœnitentia.

Ref. 4.

Ref. 4. Potest peccator per contritionem justificari, etsi non eliciat actum formalem amoris Dei super omnia.

Contritio tamen talem amorem virtualiter includere censetur: eoque titulo dicitur, detestatio peccati, propter Deum summè dilectum.

Ref. 5. Ad veram contritionem, non opus est, ut ea sit absolutè summa quoad intensiorem.

Neque etiam ut sit summa comparativè, ita ut homo intensius peccatum detestetur, quàm quodvis aliud malum.

Sed sufficit intensio ad actus substantiam requisita, quam habet, ut est verus & supernaturalis dolor de peccato.

Ref. 6. Ad veram contritionem requiritur quod sit summa appetitativè: ita ut voluntas paratior sit quodcumque malum subire, quàm Deum offendere.

Quod talis dolor non sit necessariò summus intensivè, patet exemplo foeminae, quæ acriùs dolet de morte filii, quàm de morte mariti, quem tamen pluris æstimat.

Magis intensè dolemus, ob malum quod minoris æstimamus, quia bonum quo nos privat, magis afficit partem inferiorem.

Ref. 7. Vera contritio ad justificationem sufficiens, in momento, sine ulla temporis continuatione haberi potest.

Ref. 8. Ad veram contritionem non opus est, ut de singulis peccatis singuli doloris actus habeantur, sed sufficit unus doloris actus, qui generatim feratur in omnia peccata.

Imò utilius est & securius actum aliquem detestationis, circa omnia peccata generatim elicere, quàm velle tantum de singulis per singulos actus conteri.

Ref. 9. Præceptum contritionis non obligat, cum primùm homo advertit se esse in peccato mortali; nec in diebus festis, per se loquendo.

Teneris

Teneris tamen succurrere proximo, statim atque advertis, eum in extrema necessitate corporali versari, & restituere, statim atque nosti. . . alienum retinere.

Res. 10. Præceptum contritionis obligat, saltem in articulo mortis: nisi antea fuerit impletum.

Verùm probabilius est eum qui per sacramentum cum attritione justificatus fuit, non teneri de novo ad contritionem eliciendam.

Res. 11. Quando peccatum mortale remittitur quoad culpam, pœna etiam aeterna illi debita remittitur.

Non tamen semper tota pœna temporalis remittitur per sacramentum pœnitentiæ, sicut per baptismum.

Verùm aliquando contritio adeò est perfecta, ut intuitu illius tota ejusmodi pœna remittatur.

CAP. VII. *Res. 1.* Peccatum veniale remitti potest, tam per sacramentum quam per virtutem pœnitentiæ.

Ad remissionem venialium, extra sacramentum, sufficit contritio virtualis, inclusa in actu perfecto amoris Dei.

Res. 2. Imò probabile est attritionem sufficere extra sacramentum, ut Deus remittat justo peccatum veniale.

Res. 3. Addo, ut peccatum veniale remittatur justo, extra sacramentum, attritionem virtuales sufficere.

Talem autem attritionem habet, qui ita afficitur erga virtutem, ut eo ipso detestaretur peccatum veniale, si ipsi ut practicè detestandum occurreret.

Ex quibus collige, peccatum veniale nunquam remitti in hac vita, sine infusione gratiæ.

Res. 4. Veniale conjunctum cum mortali nunquam remittitur in alia vita, quoad culpam.

Unde etsi ex se, non mereatur nisi pœnam tempora-

poralem, per accidens tamen punitur æterna.

Verùm aliqui non improbabiler existimant, peccatum veniale non puniri in inferno nisi pœna temporali, etsi macula semper maneat.

Res. 5. Peccatum veniale remittitur justis quoad culpam, in alia vita, mediante contritione, quam statim post mortem eliciunt.

Non autem per tolerantiam pœnarum purgatorii, aut per bona opera quæ ibi successivè fiunt.

Porro per actum illum contritionis anima non meretur augmentum gratiæ, nec remissionem peccati venialis, aut pœnæ illi debitæ.

Res. 6. Peccata remissa non redeunt quoad habitalem maculam, quando post eorum remissionem aliquod peccatum committitur.

Interdum tamen Deus peccantem subjicit graviori pœnæ, & eatenus peccata priora dicuntur redire.

Res. 7. Peccata dimissa non etiam redeunt quoad reatum pœnæ æternæ, qui sicut & culpa absolutè remissus fuit.

Verùm si homo postea peccat mortaliter & damnatur, per accidens punitur in æternum etiam pro pœna temporali, cui nondum satisfecerat.

Fateor tamen durum videri, quòd homo nunquã possit satisfacere pro pœna temporali; & quòd non minus puniatur pro culpa remissa, quàm si remissa non esset.

Res. 8. Peccata remissa redeunt secundum quid quoad culpam, ob subsequens peccatum: quatenus hoc ratione ingratiudinis continet majorem malitiam.

Redeunt etiam eo modo quoad pœnam, quatenus pœna æterna sensus, & damni eadem redit quoad speciem.

Graviori peccato respondet gravior pœna, non tantùm sensus, sed etiam damni, quoad effectus illius positivos, licet non quoad ipsam privationem.

Res. 9.

Ref. 9. Opera bona & meritoria quæ adveniente peccato mortali, fuerant mortificata, eo per pœnitentiam ablato reviviscunt.

Unde est discriminẽ inter bona, & mala opera; quòd hæc per pœnitentiam abolentur: illa verò semper manent in acceptatione divina, & peccatum superveniens eorum tantum impedit effectum.

Ref. 10. Homo per pœnitentiam recuperat omnem gratiam deperditam, & totum jus ad gloriam, quod ex præcedentibus meritis sibi comparaverat.

Gratia quæ confertur ratione contritionis, ut dispositio est, datur juxta modum illius: non autem quæ datur ratione contritionis, ut est removens prohibens.

Ref. 11. Merita omnia mortificata redeunt, per quantumvis minimam contritionem homo resurgat.

Quo fit ut merita omnia reviviscant, statim atque homo elicit actum contritionis.

Item ut homo, qui post peccatum mortale justificatur, resurgat semper ad majorem gratiam, quam unquam habuerit.

DE EXTREMA-UNCTIONE.

CAP. VIII. **E**Xtrema Unctio est sacramentum novæ legis à Christo institutum inchoativè in nocte cœnæ, & consummativè post Resurrectionem.

Ref. 2. Materia remota hujus sacramenti est oleum olivarum, ab Episcopo benedictum.

Proxima verò illius materia est unctio ex tali oleo: at benedictio Episcopi non est forma, sed materiæ preparatio.

Requiruntur septem Unctiones, nempe oculorũ, aurium, narium, oris, manuum, pedum, & renum, Ductamen posteriores omittuntur in foeminis.

Non est de essentia sacramenti, ut Unctiones fiant ordine jam dicto, & in necessitate sufficit si ungetur unus oculus, una auris, &c.

Ref. 3.

Res. 3. Hæc est forma Extremæ-Uñtionis; Per istam sanctam Uñtionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum auditum gustum odoratum, & tactum.

Quæ forma est deprecatoria: ita ut sacramentum non valeat, si adhibeatur forma indicativi modi, sine oratione.

Illæ particulae, & suam piissimam misericordiam, non sunt essentielles, nec videntur de præcepto; non tamen sunt prætermittendæ.

In gravi necessitate sufficeret, unguendo omnes sensus, semel dicere, per istas sanctas Uñtiones, indulgeat tibi Deus quicquid peccasti.

Res. 4. Sacerdos est minister hujus sacramenti,isque omnino necessarius, ita ut in nullo casu validè à non sacerdote administrari queat.

Simplex sacerdos jurisdictione carens, potest validè hoc sacramentum administrare: non tamen licitè, sine licentia Parochi.

Religiosi qui sine licentia Parochi, vel expressa, vel probabiliter præsumpta, hoc sacramentum secularibus ministrare præsumunt, ipso facto excommunicantur.

Res. 5. Potest hoc sacramentum à pluribus validè confici, si unus aliquam Uñtionem efficiat, & formam ei respondètem proferat: aliter verò reliquum perficiat.

Et ita posset in gravi necessitate perfici, ut si sacerdos postuam aut alteram Uñtionem, & formas ei respondentes, interiret.

Imò si periculum esset; ne omnia possent ab uno perfici, posset unus unum sensum unguere; & alius simul alium diversæ rationis.

Res. 6. Habentes curam animarum tenentur hoc sacramentum administrare suis subditis, quando necessitas postulat.

Imò defectu Pastoris, tenetur quilibet simplex sacerdos, ex charitate hoc sacramentum administrare, si

re, si potest sine gravi incommodo, aut periculo.

Tempore pestis tenetur Parochus hoc sacramentum ministrare, si potest sine vitæ periculo.

Res. 7. Infantes non sunt capaces hujus sacramenti, sed tantum adulti, qui vel habent actu, vel aliquando habuerunt usum rationis.

Res. 8. Hoc sacramentum validè conferri non potest, nisi a grotis graviter laborantibus, & in probabili vitæ periculo constitutis.

Ad hoc sacramentum administrandum, non est expectandum tempus in quo a groti salus est omnino desperata.

Imò graviter peccant, qui expectant donec a grotus omni rationis usu destitutus sit.

Hoc sacramentum iterari potest, non modo in variis infirmitatibus sed etiam in eadem, si pluries vitæ periculum imminet.

Non est obligatio sumendi hoc sacramentum, sub peccato mortali; est tamen peccatum veniale, illud ex negligentia pratermittere.

Res. 9. Hoc sacramentum confert gratiam habitualement cum auxiliis proportionatis ad roborandum animum a groti.

Confert etiam remissionem peccatorum, non quidem tantum per accidens, sed ex secundaria intentione ipsius institutionis.

Unde potest facere ex attrito contritum, & justificare eum qui bona fide ungitur cum sola attritione, putans se esse contritum: aut postquam cum attritione sensibus destitutus est.

Res. 10. Rursus inter effectus hujus sacramenti numerari potest remissio poenæ, quæ culpâ remissâ remanet.

Cæterum prædicti effectus non conferuntur partialiter post singulas Unctiones, sed totaliter postquam totum sacramentum consummatum est.

Tantum hæc Unctio confert sanitatem corporis, si id salutis infirmi juxta ordinem à divina providentia statutum, expedierit.

LIBER IV.

DE ORDINE.

CAP. I. **A**ctio illa sensibilis qua homo ab Episcopo consecratur, & acquirit potestatem ordinis, habet veram rationem sacramenti.

Ref. 2. Ordinatio Episcopi veram habet rationem sacramenti, & per eam confertur gradus nobilior sacerdotio.

Quando ordinatur Episcopus, tres Episcopi imponunt simul manus capiti illius, & simul dicunt hæc verba, Accipe spiritum sanctum, &c.

Illam manuum impositionem est materia hujus sacramenti, verba vero prædicta formam illius constituent.

Ref. 3. Ordinatio sacerdotis est verum sacramentum, habens duas materias, & duas formas partiales.

Prior materia est traditio calicis & patenæ, cum pane & vino, forma, verba illa, accipe potestatem offerendi sacrificium, &c.

Posterior materia est manuum impositio facta ab Episcopo, forma vero verba illa, accipe spiritum sanctum.

Ref. 4. Ordinatio Diaconi verum est sacramentum, habens duplicem materiam partialem, & duplicem formam.

Prior materia partialis est impositio manuum; forma vero, verba illa, accipe spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus.

Posterior materia consistit in traditione libri Evangeliorum; forma autem in verbis illis, accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, &c.

Ref. 5. Ordinatio Subdiaconi verum est sacramentum,

tum, habens duplicem materiam partialem, & duplicem formam.

Prior materia est porrectio calicis & patenæ, sine pane & vino; forma, videte cujusmodi ministerium vobis traditur, &c.

Posterior materia est porrectio libri-Epistolarum, forma verò, verba ipsi respondentia.

Subdiaconus potest vasa sacra contingere, nisi quādiu corpus & sanguis Christi in iis continentur.

Probabile est ordinationem inferiorum clericorum esse verum sacramentum; non autem ordinationem psallentium, vel laborantium in sepultura.

Ex probabiliori, & tutiori sententia est de essentia prædictarum ordinationum, ut instrumenta quæ in iis porrigi solent, physicè contingantur.

Quando per varia instrumenta diversæ potestates traduntur, ea omnia physicè tangi debent, ut valeat sacramentum.

At quando datur eadem potestas, sufficit ad valorem, si unum physicè tangatur: omnia tamen ex præcepto realiter tangenda sunt.

CAP II. *Res. 1.* Solus Episcopus est minister ordinarius sacramenti Ordinis. Potest tamen simplex sacerdos ex commissione summi Pontificis, minores ordines conferre.

Episcopus non potest validè consecrari, ex Pontificis commissione, à simplici sacerdote.

Non potest sacerdos, ex Pontificis dispensatione, validè consecrari à non Episcopo.

Ex cōmissione Sūmi Pontificis, potest sacerdos nō Episcopus Diaconatum, & Subdiaconatum cōferre.

Res. 2. Ad valorem ordinationis necesse est, ut qui ordines suscipit, sit vir, isque baptizatus.

Presbyteræ olim dicebantur viduæ seniores, quæ aliis ratione ætatis præerant, vel foeminae quarum mariti ad sacerdotium everti erant.

At Diaconissæ dicebantur, quæ sacerdoti mulieres baptizæ

baptizanti inserviebant, aut quarum mariti ad Diaconatum eveci erant.

Res. 3. Infantes validè possunt ordinari ante usum rationis: in adultis tamen requiritur consensus, ad valorem ordinationis.

Ad subdiaconatum requiruntur 22. anni inchoati, ad Diaconatum 23. ad presbyteratum 25. verùm ad Episcopatum requiruntur 30. anni completi.

Ad primam tonsuram, & tres ordines minores sufficiunt septem anni: Acolytatus autem non nisi anno 12. expleto conferri debet.

Qui gravi metu ad susceptionem ordinum injustè compellitur, non tenetur castitatem servare.

Res. 4. Sacramentum ordinis confert gratiam, & characterem. Quod ita intellige, ut non tantùm majores, sed etiam minores ordines utrumque hunc effectum producant.

Quando ordinatus ponit obicem gratiæ, solum characterem recipit: recedente tamen postea fictione, gratia illi confertur, vi præcedentis ordinationis.

Degradatio est pœna Ecclesiastica, qua clerici privantur functionibus omnibus Ecclesiasticis, & privilegio clericali, non tamen characterem.

Res. 5. Sacris ordinibus initiati, nempe sacerdotio, diaconatu, & subdiaconatu tenentur castitatem servare.

Lex tamen continentia non est annexa aliis ordinibus, qui minores appellantur.

DE MATRIMONIO.

CAP. III. **A**D valorem sponsalium requiritur *Res. 1.* promissio exterius facta sive hoc fiat verbis, sive scripto, sive alio modo consensum exprimente.

Res. 2. Requiritur etiam ut promissio sit mutua, & ex deliberatione ad peccatum sufficienti procedat.

Non

Non tamen ea libertas, quæ ex maturo consilio procedit. Unde pueri anno septimo ætatis sponsalia validè contrahere possunt.

Res. 3. Requiritur præterea ad valorem sponsalium: ut promissio fiat animo verè promittendi, adeoque se obligandi.

Quòd si promittens habet animum verè promittendi, & se obligandi, non tamen promissum implendi, sponsalia valent, & sic promittens tenetur nubere.

Imò qui fictè promisit, tenetur ex probabiliore sententia, implere promissum, si fictæ promissioni juramentum apposuit.

Potest etiam ad id teneri ratione injuriæ, aut damni illati: ut si Virginem defloravit sub spe matrimonii, quod ei fictè promisit.

Non tamen tenetur ducere, si genere aut divitiis foeminam notabiliter excedat, vel si ea facilè apprehendere potuit se decipi.

Res. 4. Ut valeant sponsalia, ea debent contrahi inter personas ad matrimonium habiles, id est, carentes impedimento dirimente, & impediante.

Quod intellige, quando impedimentum est perpetuum, nam si sit temporale, potest promitti matrimonium pro tempore quo ablatum erit.

Unde impuberes validè contrahunt sponsalia, post septimum annum completum, etsi ante annos pubertatis validè nequeant nubere.

Res. 5. Sponsalia solvuntur ex mutuo consensu, etsi firmata sint juramento.

Excipe sponsalia impuberum, ut sic. Qui tamen primus pubertatem adeptus est, potest intra tres dies validè resilire.

Solvuntur etiam per professionem in religione approbata emissam. Imò eò ipsò quòd Sponsus Religionem ingreditur, manet Sponsa à promissione libera.

Undè si egredietur, non tenetur Sponsa ei nubere:

f

ille

ille tamen tenetur fidem præstitam servare, si ipsa matrimonium cum illo inire velit.

Similiter Sponsa non privatur jure suo, si sponsus post sponsalia vovet continentiam, vel susceptionem ordinis sacri.

Votum tamen continentiae præcedens dirimit sequentia sponsalia, at suscepio ordinis sacri, sive præcedat, sive sequatur, ea dissolvit.

Rursus sponsalia solvuntur per votum profitendi in Religione approbata. Quod tamen non valet, si ex ingressu voventis, alter grave damnum patiatur.

Res. 6. Solvuntur quoque sponsalia ex parte per alia sponsalia: ita ut sponso secunda sponsalia contrahente, sponsa ab illo libera maneat, eum tamen revocare possit, si velit cum illo contrahere.

Imò quamvis prior sponsa sponsalibus renuntiet, qui cum secunda sponsalia iniiit, non tenetur ei nubere.

Verùm si sponsus à secunda, priorum sponsalium ignara, copulam obtinuit, probabile est eum teneri cum ea contrahere, nisi prior sponsa grave inde damnum incurreret.

Quòd si posterior sponsa, matrimonio contracto, moriatur, tenetur vir illius cum priori contrahere. Sicut qui post votum Religionis matrimonium contraxit, & consummavit, tenetur mortua uxore, Religionem ingredi.

Res. 7. Solvi etiam possunt, ex parte, sponsalia, ob gravem mutationem alteri supervenientem: ut si incidat in morbum Hispanicum, seu Neapolitanum, si privetur naso, vel altero oculo, si magnam bonorum, aut famæ jacturam faciat.

Non modo fas est à sponsalibus resilire, quando gravis mutatio supervenit, sed etiam quando præcessit, si ea in contractu ignorata fuit.

Res. 8. Præterea quando quis est in mora, seu quando per ipsum stat, ne sponsalia tempore constituto com-

DE MATRIMONIO. vii

compleantur, alter manet liber ab obligatione sponsalium.

Imò dum in sponsalibus nullum tempus determinatum est pro celebrandis nuptiis, si unus nimium differat nuptias, arbitrio viri prudentis, alter resilire potest.

Qui verò est in mora, non fit liber à fide data, adeoque tenetur contrahere, si alter velit.

Ref. 9. Quando sponsus in terras remotas se transfert, sponsa manet libera ab illo: nisi spes sit eum brevi rediturum.

Etsi sponsus ex consensu sponsæ discedat, ea manet libera, si ex nimia sponsi mora grave periculum incontinentiæ, aliudve damnum ei immineret.

Judex Ecclesiasticus præfigat terminum aliquem, ut nisi sponsus monitus intra illum redierit, sponsa cum alio contrahere possit.

CAP. IV. *Ref. 1.* Matrimonium per se est res bona, & licita, jurisque naturalis: eo sensu, ut natura ipsa in illud inclinet.

Initio mundi tenebantur homines, ex præcepto naturæ, matrimonium inire, ad convenientem generis humani propagationem.

Ref. 2. Matrimonium est verum novæ legis sacramentum, à Christo Domino institutum.

Illud verò Pauli *Ephes. 5.* Sacramentum hoc magnum est, &c. significat tantum, matrimonium primorum parentum fuisse signum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ.

Ref. 3. Matrimonium iniri non potest inter Christianos, in ratione contractus, quin simul sit sacramentum.

Unde matrimonium per procuratorem contractum est verum sacramentum, & qui ita contrahit, debet esse in gratia, dum illius nomine contractus peragitur.

Non est tamen sacramentum, quod ex dispensatione

tione summi Pontificis, contrahitur inter baptizatum, & non baptizatam.

Sine tali verò dispensatione, matrimonium erit nullum, etiam in ratione contractus.

Quando infideles baptizantur, matrimonium ab iis antea contractum, non fit sacramentum.

Res. 4. Consensus mutuus contrahentium exterius expressus, habet rationem materiae, quatenus est traditio corporum; formæ verò, quatenus est acceptatio.

Parochus assistens matrimonio non est illius minister, sed ipsimet contrahentes sunt ministri.

Res. 5. Consensus matrimonii adeò debet esse liber; ut metus cadens in virum constantem illud non irritet.

Quòd intellige, de metu ab extrinseco injustè incusso, idque animo cogendi ad matrimonium.

Res. 6. Contractus matrimonii initus sub conditione de futuro, valere incipit adveniente conditione, non ante.

Conditio honesta, quæ non est contraria substantiæ matrimonii, illud non irritat: ut si quis dicat, contraho tecum, si modo te obliges ad castitatem perpetuò servandam.

Quando consensus matrimonii suspenditur, per conditionem de futuro, adveniente tali conditione, matrimonium valet, sine novo consensu.

Unde qui cum duabus contraxit de præsentì, appositâ conditione de futuro, est maritus illius cujus conditio primò advenit, etsi fortè cum illa posteriori loco contraxerit.

Quòd si utraque conditio simul impletur, neuter contractus tenet.

Parochus, & testes debent impletioni conditionis interesse, ut valeat matrimonium, in locis ubi receptum est Concilium Tridentinum.

Matrimonium contractum sub conditione de futuro, non valet statim atque apponitur conditio, sed

sed tantum quando contrahentibus constat eam extare.

Ref. 7. Ut consensus matrimonii sit validus, debet coram Parocho declarari, in locis ubi receptum est Tridentinum.

Nomine Parochi eum intelligimus, in cujus parochia contrahentes majori anni parte habitant.

Si contrahentes in diversis parochiis habitant, sufficit presentia alterutrius Parochi, sive in propria parochia, sive in aliena assistat.

Potest Parochus non sacerdos valide assistere matrimonio; si quis tamen ex illius commissione assistit, debet esse sacerdos.

Parochus debet assistere matrimonio non tantum corporaliter, sed etiam moraliter, seu cum advertentia & usu rationis.

Non tamen requiritur ut assistat liberè, quare eum ibi vi detineatur, valet matrimonium, graviter tamen peccant, qui ita contrahunt.

Simul cum Parocho debent assistere duo, aut tres testes, quos tamen opus non est esse omni exceptione majores.

Debent etiam pramitti ex precepto denunciations, tribus diebus festis qui se immediate non consequantur, idque in parochia utriusque contrahentis.

Et qui novit aliquod impedimentum inter contrahentes, tenetur illud revelare Parocho, licet sit occultum, & promiserit sub juramento, se illud non revelaturum.

Nisi revelanti grave aliquod damnum immineret, aut ea revelatio grave scandalum paritura esset.

Ref. 8. Matrimonium valide contrahi potest, invitis parentibus, ex statuto Concilii Tridentini.

Interdum peccat mortaliter filius, qui nuptias a parentibus oblatas respuit, ex hypothese quod statuta matrimonialem amplecti velit.

Non tamen peccat, si respuat nuptias cum femina

infami, vel impudica, aut leprosa, &c. Nec si ex causa gravi cum aliqua parentibus invitis contrahat.

Peccant parentes gravi metu injecto, compellentes filios ad statum matrimonialem, aut ad contrahendum cum hac, vel illa.

Et qui sine justa causa, impediunt, quominus eorum liberi matrimonium ineant.

Excommunicantur in Concilio Tridentino Magistratus, Domini temporales, aliique jurisdictionem in foro externo habentes, qui subditos, vel alios cogunt ne liberè matrimonium contrahant.

Res. 9. Quando alter contrahentium fictè consentit, satis est ad valorem matrimonii, si ille solus postea verè & ex animo consentiat, huncque consensum exterius exprimat.

Tutius tamen est, si uterque consentiat, & ita consulendum, nisi inde damnum aliquod sequuturum timeatur.

Quod si neuter contrahentium consensit, uterque debet novum consensum elicere, eumque signo aliquo externo manifestare.

Unde qui ad contrahendum, procuratorem fictè constituit, debet fictionem revocare signo aliquo externo, quod procuratori innotescat.

Res. 10. Quando matrimonium fuit invalidum: ob aliquod impedimentum dirimens, requiritur novus utriusque consensus.

Si non potest alteri sine periculo, nullitas matrimonii manifestari, qui illius conscius est cautè, & dissimulanter ab eo consensum de præsentis exigat, & ipse vicissim consentiat.

Qui falsò existimant impedimentum aliquod subesse, & eo stante matrimonium validè contrahi posse, validè contrahunt, si matrimonium simul ineant.

Imò etsi putent matrimonium tunc validè contrahi non posse, validè contrahunt, si mutuos consensum edant, quantum possunt.

Consen-

Consensus de novo elicited ab iis, qui cum invalidè contraxerint, putant se validè contraxisse, non sufficit ad validandum matrimonium.

Consensus privatus sufficit ad validandum matrimonium coram Parocho, & testibus initum, quod nullum est ob impedimentum aliquod occultum.

At si impedimentum sufficienter in foro externo probari potest, consensus iterandus est coram Parocho, & testibus.

Res. 11. Mortuo uno conjugè, potest alter cum secundo contrahere, & hoc mortuo, cum tertio, &c.

Non tamen licet nunc eidem viro plures simul uxores habere, et si aliàs licuerit.

Quod dicitur, Valentinianum Imperatorem legem promulgasse, ut liceret unicuique plures uxores sumere, à Socrate confictum fuit.

Res. 12. Matrimonium ratum, & nondum consummatum, dissolvi potest quoad vinculum, per professionem Religionis.

Unde dantur à Jure duo menses, à tempore contractus, ut interim conjuges deliberent, an Religionem ingredi velint, nec ne.

Non possunt conjuges, per illud bimestre, sibi debitum denegare, nisi cogitent de Religione amplectenda.

Potest etiam dissolvi matrimonium ratum, per dispensationem summi Pontificis.

At matrimonium consummatum dissolvi non potest, inter baptizatos, nisi per mortem.

Dico, inter baptizatos, nam si conjugum infidelium unus baptizetur, & alter nolit cum eo habitare sine contumelia Creatoris, poterit ille cum alio contrahere.

CAP. V. *Res. 1.* Multa matrimonium impediunt, sed non dirimunt. Nempe prohibitio Episcopi, vel alterius potestatem habentis, sponsalia prius validè contracta: simplex votum castitatis, aut Religionis, aut susceptionis ordinum; & alia pleraque.

f 4

Verum

Verùm illa tantùm tria communiter observari solent, adeoque aliis innodati non peccant, sine dispensatione nubentes; nisi aliud exigat consuetudo.

Res. 2. Alia sunt impedimenta dirimentia, quæ scilicet non tantùm impediunt, ne matrimonium licitè contrahatur, sed etiam irritant contractum. Ea sunt.

*Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit presentia testis;
Raptæve sit mulier, nec parti reddita tuta:
Hæc facienda vetant connubia facta retractant.*

Res. 3. Potest summus Pontifex validè dispensare in impedimentis omnibus, quæ jure Ecclesiastico matrimonium dirimunt.

Ut valida sit dispensatio à Pontifice data in ejusmodi impedimentis, non requiritur causa rationabilis; ut tamen sit legitima, iusta dispensandi causa adesse debet.

Qui à Pontifice habent potestatem dispensandi in dictis impedimentis, non possunt sive validè, sive licitè ea uti, sine causa rationabili.

Non potest Episcopus ordinariè in impedimentis dirimentibus matrimonii dispensare.

Res. 4. Potest tamen in foro interno dispensare, si impedimentum sit occultum, & matrimonium publicum, bonaque, saltem alterius, fide contractum; & conjuges sine gravi scandalo separari nequeant, nec sit facilis ad Pontificem aditus.

CAP. VI. Res. 1. Conjuges non tenentur per se loquendo, debitum petere; tenentur tamen per accidens, quando id necessarium videtur ad vitandam incontinentiam in altero.

Tenentur verò ex justitia reddere, id què sub gravi peccato, non modo quando expressè, sed etiam cum signis petitur.

Verùm

Verum levitas materiae à peccato excusat, ut si multoties reddere solitus, una aut altera vice non reddat.

Res. 2. Multis de causis excusatur conjux à redditione debiti, 1. quando reddere nequit sine periculo gravem aliquem morbum contrahendi. 2. ad vitandum grave aliquod damnum in bonis fortunæ. 3. quando non suppetunt facultates ad filios alendos. 4. quando ex aliqua circumstantia, actus redditur illicitus, ut si sit periculum abortus. 5. quando conjux priori bimestri cogitat de ingressu Religionis. 6. quando sufficiens est causa celebrandi divortium, de quo postea.

Res. 3. Qui post votum castitatis matrimonium contraxit, peccat mortaliter quoties debitum petit, ante obtentam dispensationem. Si tamen perat, alter tenetur reddere.

Qui post matrimonium ratum, non consummatum voverit castitatem, animo ingrediendi Religionem, tenetur ingredi: at si de ingressu non cogitat, tenetur nunquam petere, & tunc tantum reddere, quando alter jus petendi habet.

Qui consummato matrimonio, voverit castitatem sine consensu alterius, votum non valet, nisi quoad obligationem nunquam petendi, & tunc tantum reddendi, quando alter jus exigendi habet.

At si voverit ex consensu alterius, sed sine mutuo pacto, votum non tenet, nisi quoad illa duo jam dicta.

Quando verò conjuges ex mutuo consensu castitatem voverint, tunc neuter potest debitum petere, aut reddere.

Res. 4. Ut rectus sit usus matrimonii, servari debent duobus his versibus comprehensa.

Sit modus, & finis, sine damno, solve, cohabitare,

Sit locus, & tempus, tactus, ne spernato votum.

Conjux qui certò scit matrimonium nullum esse, non potest debitum petere, aut reddere.

122 DE MATRIMONIO.

Qui probabiliter dubitat de valore illius, tenetur quam primùm veritatem inquirere; & interim non potest petere, tenetur tamen reddere.

Qui verò ex mero scrupulo timet, matrimonium nullum esse, debet ad consilium sui confessarii scrupulum deponere, & liberè uti matrimonio.

Res. 5. Potest mater, in periculo vitæ constituta, sumere pharmacum directè tendens ad ipsius curationem, etsi probabiliter abortus inde sit sequuturus.

Quod non tantùm verum est, quando fœtus nondum est animatus, sed etiam si sit animatus.

Non tamen licet matri sumere pharmacum, quo fœtus directè expellatur; etsi hoc ad curationem illius putetur necessarium.

Res. 6. Parentes tenentur ex lege naturæ, filios alere, si aliunde non habent necessaria ad sustentationem vitæ.

Imò si non potest parens filium alere, sine vitæ periculo, ut si foemina eum procreavit ex adulterio, potest eum hospitali exponere: ita tamen ut expensis satisfaciat.

Tenentur etiam parentes dare operam, ut eorum filii bonis moribus, & disciplinis imbuantur, juxta cujusque conditionem.

Res. 7. Licitum est divortium inter conjuges, ob varias causas. 1. ob adulterium. 2. ob fornicationem spirituales, hæresim nempe, vel apostasiam à fide. 3. potest uxor divertere à marito ob periculosam illius savitiam. 4. possunt conjuges ex mutuo consensu, tunc separari, etsi castitatem non voveant.

OS (O) OS

THE-



THESES
UNIVERSÆ
THEOLOGICÆ

Speculativæ, Sacramentalis, &
Moralis.

PARS TERTIA,

Continens summam accuratissimam Ideam
Theologiæ Moralis.

LIBER I.

DE LEGIBVS.

CAP. I. **L** Ex secundum suam essentiam, non tantum ad rationem, sed etiam ad voluntatem spectare videtur.

Ref. 1. Quod intellige de lege positiva, sive divina, sive humana, lex enim naturalis est independens ab actu libero voluntatis divinæ.

Ref. 2. De ratione legis est, ut ordinetur in bonum commune. Quod præsertim intelligi debet de lege positiva.

Imò etsi naturalis proximè tendat ad bonum particulare, ea ex consequenti respicit bonum commune, quod non nisi ex bonis particularium coalescit.

Illud est discrimen inter Regem, & Tyrannum, quod Rex subditorum bonum, Tyrannus verò proprium respicit.

Ref. 3. Non spectat ad quemlibet condere leges, sed tantum ad multitudinem, vel ad eum qui præest multitudini.

Unde leges à Platone conscriptæ, non habent propriè rationem & vim legum, nisi ab aliqua Reipublica approbata, & constituta sint.

Ref. 4. Promulgatio est de ratione, & essentia legis. Unde legem non promulgatam non teneris servare, etsi privatâ scientiâ cognoscas eam statutam esse.

Ut lex obliget, non est necesse quòd singulis personis in particulari sit promulgata, aut in singulis locis; sed sufficit, quòd omnibus generatim, & in locis celebrioribus proposita fuerit.

Lex naturalis promulgatur homini quoad habitum, in creatione, quoad actum verò, cum primùm ratione utitur.

Itaque lex potest definiri, Ordinatio rationis, ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata.

Ref. 5. Ad valorem legis canonicæ, aut civilis, acceptatio populi non est necessaria: adeoque peccant eam non servantes, quòd videant, eam nondum à populo acceptatam esse.

Si tamen talis non acceptatio tanto tempore dureret, quantum requiritur ut desuetudo legitime præscripta censeatur, tunc fas est legi non obedire.

Ac præterea si lex statuta est nimis gravis, licet eam non observare, donec clarius constet de mente legislatoris, quæ quamprimum exploranda est.

CAP. II. *Ref. 1.* Lex æterna ponenda est in Deo. Ea tamen propriè non est lex, ut de lege hic agimus, defectu subditorum quibus ab æterno promulgari potuerit.

Distinguitur ab Idea, nam ratio divinæ sapientiæ, ut per eam cuncta creata sunt, est ars, vel Idea; ut autem omnia gubernat, & movet ad debitum finem, habet rationem legis.

Omnes

Omnes leges, inquantum participant de recta ratione, derivantur à lege æterna, cui subduntur quæcunque divinæ gubernationi subduntur: boni quidem perfectè, at mali imperfectè ex parte actionis, perfectè verò ex parte passionis.

Res. 2. In nobis ponenda est lex aliqua naturalis, quæ aliud nihil est quàm, iudicium, illud, seu dictamen rectæ rationis, quo iudicamus bonum esse prosequendum, & malum fugiendum.

Per intelligentiam assentimur primis principiis speculativis; per synderesin, practicis.

Ex illo principio practico, bonum est amplectendum, & malum fugiendum, multa alia deducuntur, sed quædam facilius, quàm alia.

Lex naturalis est eadem apud omnes, quoad sua principia communissima, non tamen quoad omnes conclusiones, saltem remotiores, ex iis deductas.

Unde multa præcepta naturalia à simplicioribus possunt inculpabiliter ignorari.

Res. 3. Lex naturæ mutari potest per additionem aliorum præceptorum legis divinæ, vel humanæ.

Non tamen per subtractionem, ita ut quod jam est de lege naturæ, de illa postea desinat esse.

Libertas, honorum proprietas, matrimonium clandestinum, aliæque huiusmodi sunt tantum de jure naturali concessivo, non præceptivo, adeoque mutatio in iis contingere potest.

Res. 4. Non potest Deus propriè dispensare in lege naturæ, faciendo scilicet, ut quis ad eam non teneatur, sub iisdem illis circumstantiis sub quibus tenebatur.

Exempla Abrahæ filium volentis occidere, Osee accedentis ad mulierem fornicariam, & Israëlitarum Ægyptios spoliantium, oppositum non suadent.

Tenemur ex jure naturæ servare votum, aut iuramentum non relaxatum: potest tamen summus Pontifex autoritate Dei illud relaxare, quo ipso cessat obligatio promissum servandi.

Lex

Lex naturalis, quoad principia communia, deleri non potest ex cordibus hominum, potest tamen, quoad conclusiones ex iis deductas, quæ sunt præcepta particularia.

CAP. III. *Ref. 1.* Conscientia est actus ille intellectus, quo iudicamus aliquid esse faciendum, aut non faciendum.

Unde distinguitur à synderesi, quæ est habitus quidam, quo cognoscimus prima principia practica.

Conscientia est multiplex, nimirum recta, erronea, dubia, probabilis, & scrupulosa.

Ref. 2. Peccatum est agere contra conscientiam errantem, quæ dicit aliquid agendum, aut non agendum esse.

Quando conscientia errat invincibiliter, tenetur homo facere quod ipsa dicit.

At quando errat vincibiliter, ea quidem, quando durat, obligat ne quis contra illam faciat, non tamen ut juxta illam operetur.

Qui ex errore invincibili putat se, si hoc egerit, siue oppositum peccaturum, non peccat alterutram contradictionis partem, sequendo.

Ref. 3. Ille peccat, qui facit aliquid, practice dubitans esse peccatum; non tamen si dubium illius sit tantum speculativum.

Quando rem aliquam bona fide possidens, incipis dubitare, an tua sit, potes eam retinere, si præmissa sufficienti diligentia, non potes dubium vincere.

Non tamen teneris votum implere, si dubitas an votum emiseris; secus si constat te vovisse, & tantum dubitas an intentio vovendi adfuerit.

Nec teneris servare præceptum, de quo dubitas an latum fuerit, vel an ad talem materiam se extendat: secus si solum dubitas an satisfeceris.

Verum teneris obedire, quando dubitas, num
quod

quod jubet superior licitum sit, vel illius facultatem excedat.

Etsi in dubiis possimus sequi partem favorabiliorē, optimum tamen consilium est, tutiorem amplecti.

Ille est irregularis, qui dubitat, an sit reus homicidii; ut si dedit causam abortui, & dubitatur an foetus esset animatus.

Ref. 4. Ille non peccat qui sequitur opinionem probabilem, relicta probabiliori. Dicitur autem opinio probabilis, quæ firma aliqua ratione nititur.

Unde potest confessorius consilium dare, & absolvere, juxta opinionem probabilem, dimissa probabiliori quam ipse amplectitur.

Potest sacerdos, quoad licitum usum sacramentorum, sequi sententiam probabilem, relicta probabiliori.

At quando agitur de valore sacramenti, plerumque probabilibus dimissis, certa tantum adhiberi debent; maximè quando ministratur sacramentum ad salutem poenitentis necessarium.

Quando medicamenta solum probabilia, suppetunt, potest medicus illud usurpare quod probabile est, relicto probabiliori.

Dico, solum probabilia, nam si medicinæ certæ habetur copia, ea tantum adhiberi debet.

Quod si non habetur medicamentum certum aut probabile, nullaque sit spes de salute infirmi, probabile est licere tunc applicare medicamentum aliquod dubium.

Graviter tamen peccant medici, qui cum remedia probata & utilia suppetunt, ignota adhibent, ut eorum vim, agrorum periculo experiantur.

Potest iudex sententiam ferre ex opinione probabili, relicta probabiliori; in praxi tamen tutius est judicare juxta sententiam probabiliorem, & ita consulendum arbitror.

Si tamen constat, probationes utrinque esse æquales, tam de facto, quàm ex jure, res de qua agitur est dividenda; aut, si dividi nequit partes inter se componenda.

Potest advocatus causam probabilem defendere contra probabiliorem: sicut licet clienti, ob probabilem rationem; jus suum coram iudice querere, aut tueri.

Res. 5. Licitum & laudabile est, agere contra scrupulum: id est, facere actum, quem probabiliter iudicas bonum, etsi ex mero scrupulo malus appareat.

Quando in jure dicitur, habentem scrupulum circa valorem matrimonii, non posse debitum petere, scrupuli nomine dubium intelligitur.

Scrupulis vexatus debet sui Superioris, aut Confessarii dictis omnino acquiescere.

Confessarius verò debet illud, præter alia scrupuloso inculcare, ut nihil credat esse peccatum mortale, nisi possit cum juramento affirmare, tale esse.

CAP. IV. Res. 1. Necessarium fuit ad directionem naturæ humanæ, habere legem divinam, præter naturalem & humanam.

Duplex est lex divina, vetus, & nova, quæ inter se non distinguuntur specie; sed tanquam perfectum, & imperfectum in eadem specie.

Res. 2. Lex vetus erat bona, & rationi consentanea, ut pote concupiscentiam reprimens, & peccata prohibens.

Cum autem dicitur, Deum dedisse Judæis legem non bonam, agitur de præceptis iniquis, quæ Deus permisit Judæis imponi, in pœnam peccatorum.

Usura, & libellus repudiæ vel non fuerunt licita, sed tantum permissa, vel si erant licita, ut sic, non erant mala.

Res. 3. Lex vetus data est à Deo; ita ut idem sit author veteris, & novi testamenti, Christum promittens, & tribuens.

Lex

Lex antiqua data est Angelorum ministerio, nova autem per ipsum Deum hominem factum.

Lex vetus solis Judæis data fuit, ut specialiter sanctificarentur, & dicarentur cultui Dei: quare alias gentes non obligabat.

Ref. 4. Lex nova non distinguitur à veteri, quoad finem, sed quoad modum ducendi ad finem.

Omnes differentia quæ assignantur inter novam & antiquam legem, sumuntur secundum rationem perfecti & imperfecti.

Lex antiqua dicitur lex timoris, nova autem lex amoris, quod intellige, quoad statum, non quoad singulas personas.

Lex vetus per novam fuit completa, tam quoad finem, quæ est hominum justificatio, quam quoad præcepta, quorum veriore intelligentiam, tutioremque, ac perfectiorem observantiam Christus tradidit.

Lex nova virtualiter continetur in veteri, sicut arbor in semine, aut species in genere.

Lex vetus est multò gravior, nova si attendatur ad opera externa quæ præcepta erant: at si ratio habeatur interiorum actuum, non præcisè, sed ut cum fide & gratia conjuncti sunt, sic nova est longè suavior veteri.

CAP. V. *Ref. 1.* In veteri lege erant præcepta moralia, seu de actibus virtutum moralium, quibus homines fiebant boni.

Erant etiam in ea præcepta cæremonialia, id est de operationibus, seu cæremoniis externis, quibus Deus colendus erat.

Erant & præcepta judicialia, seu de modo quo justitia inter homines observanda erat.

Ref. 2. Præcepta omnia moralia pertinent ad legem naturæ, sed diversimodè: nam alia facilius, alia difficilius ex communibus principiis naturalibus cognoscuntur.

Ejusmodi præcepta reducuntur ad Decalogum,

no

non autem communia & per se nota, nec quæ non nisi per disciplinam sapientum, proveniunt à Deo ad populum.

Præcepta Decalogi convenienter enumerantur, quatenus per tria priora homo disponitur ut bene se habeat in ordine ad Deum; per septem reliqua in ordine ad homines.

Convenienter etiam ordinantur, quatenus graviora, sunt peccata contra Deum, quàm contra homines: & inter ista graviora, contra parentes, quàm contra alios.

Ref. 3. Cæremoniæ antiquæ legis convenienter dividuntur in sacrificia, sacramenta sacra, & observantias.

Omnes ejusmodi cæremoniæ habebant duplicem causam valde congruam, alteram literalem, alteram figuralem.

Ref. 4. Præcepta judicialia ad 4. capita reducuntur, juxta ordinem quem habent cives ad principem, inter se, cum extraneis, cum uxoribus, & filiis & servis.

Quatenus non inferuntur ex principiis naturæ, tanquam eorum conclusiones, differunt à moralibus, & conveniunt cum cæremonialibus.

Quatenus verò ordinantur ad convictum hominum inter se invicem, distinguuntur à cæremonialibus, quæ ad cultum Dei pertinent.

Christus morte sua nos liberavit à præceptis cæremonialibus, & judicialibus, non à moralibus: judicialia tamen possunt iterum institui; ut patet ex decimis.

Ref. 5. In lege nova sunt præcepta triplicis generis, nempe moralia; fidei, & sacramentorum, cum præferantur duntaxat sint ex nova ordinatione.

Lex nova sufficienter hominem ordinat non modo quoad actus exteriores, sed etiam quoad interiores, ut patet ex sermone Domini in monte.

Ref. 6. Modus aliquis virtutis, ut scilicet fiat scienter

ter

ter & liberè cadit sub præceptum, non autem ut fiat ex intentione satisfaciendi.

At non cadit sub præceptum, quod actus fiat firmiter, & immobiliter. Potest etiam satisfieri per opus ex circumstantia malum, dummodo sit bonum ex objecto.

Modus charitatis est in præcepto, quando divina lex præcepit actum dilectionis, at non quando aliquid aliud præcipitur.

CAP. VI. *Ref. 1.* Utile fuit aliquas leges ab hominibus constitui, quæ protectos, poenarum metu, à vitiis retraherent, & ad virtutem inducerent.

Ex præceptis naturalibus, ut ex principiis communibus, ratio humana procedit ad aliqua magis particulariter disponenda; & hæc particulares dispositiones dicuntur leges.

Ex ejusmodi principiis aliquid derivatur, vel per modum conclusionis, ut, neminem esse occidendum; vel per modum determinationis, ut quod aliquis tali poena afficiatur.

Ref. 2. In principibus Ecclesiasticis, & sæcularibus est vera potestas condendi leges.

Quando Deus prohibet ne quid addatur ad verba & præcepta ejus, id debet intelligi de additione repugnante ipsis præceptis divinis.

Christiana libertas novi testamenti non consistit in liberatione à præceptis humanis, sed in libertate à jugo peccati, & præceptorum caeremonialium.

Ref. 3. Leges humanæ multa possunt præcipere, aut vetare, quæ lege naturali, aut divina non sunt præcepta, aut prohibita.

Quod intellige de iis legibus, quæ derivantur à naturali per modum determinationis duntaxat, non de iis quæ ab ea derivantur per modum conclusionis.

Ref. 4. Leges humanæ dividuntur vel juxta diversitatem laborantium pro bono communi, vel juxta

juxta diversa regimina, vel juxta materiam quam tractant.

Jus naturale dicitur, quod unicuique insitum est à natura, Civile quod à Principe, aut Republica constitutum est; jus vero gentium, quod consentaneè ad regulas rectæ rationis, communi omnium fere gentium usu, & consuetudine introductum est.

Res. 5. Lex humana non prohibet omnia vitia, sed tantum ea sine quorum prohibitione societas humana stare nequit.

At neque præcipit omnes virtutes, sed eas tantum quæ ad bonum commune ordinantur, vel mediatè, vel immediatè.

Res. 6. Lex humana sive civilis; sive Ecclesiastica non potest directè præcipere actus internos.

Quod sacerdos absolvat hominem à peccatis merè internis, id non est ex lege Ecclesiastica, sed ex jure divino.

Potest tamen lex humana indirectè præcipere actum internum, quando ille necessarius est ad externum, qui præcipitur.

Lex humana præcipiendo actum externum, censetur præcipere internum qui necessarius est, ut externus in esse morali constituatur.

CAP. VII. *Res. 1.* Lex omnis obligat in conscientia, vel ad culpam, vel ad pœnam. At consilium neutram obligationem imponit.

Regulæ & Constitutiones Regularium, quæ non obligant ad culpam, vel ad pœnam, non sunt propriæ leges, sed ordinationes quædam.

Res. 2. Tunc lex non obligat, quando fundatur in falsa præsumptione facti alicujus particularis.

Unde si per falsos testes cogaris solvere Titio quod ei non debes, potes compensatione uti.

Non tamen cooperaris peccato Titii solvendo, sicut nec peccato usurarii, solvendo ei usuras minimè debitas.

Lex obligat quando fundatur in præsumptione
periculi,

periculi, seu potentia quæ plerumque ad actum reducitur, etsi factum in particulari cesser.

Unde lex irritans matrimonia clandestina, extenditur etiam ad matrimonium clam sine fraude contractum.

Ref. 3. Lex obligat ad culpam mortalem, quando concipitur verbis præceptivis; qualia sunt illa, præcipio, jubeo, impero, &c.

Quod extendendum videtur, etiam ad legem præceptivam, quæ poenas decernit pro transgressoribus.

At lex non ita obligat, quando fertur verbis indifferentibus, qualia sunt illa, volumus, decernimus, ordinamus, &c.

Ex eo quod gravis poena corporalis per legem imponatur, non sequitur eam obligare sub mortali.

Quando violanti legem imponitur gravis poena spiritualis, ipso facto incurrenda, signum est eam obligare sub mortali: secus si sit poena tantum imponenda.

Ref. 4. Non potest legislator in materia ex se levi, gravem obligationem imponere: nisi ea aliunde sit gravis, ut interdum contingit, maxime in Religionibus.

Potest tamen in materia gravi obligare tantum sub veniali; esto poenitens gravem satisfactionem in confessione impositam, sub mortali implere teneatur.

Ref. 5. Lex humana potest interdum obligare sub periculo vitæ: v. c. ad bellandum quando bonum commune id exigit.

Ut plurimum tamen lex humana non obligat cum tanto periculo: etiam cum obligat sub peccato mortali.

Carthusianus carens omni alio cibo, tenetur sub peccato mortali, carnibus vesci: at si suppetant aliis cibi, non tenetur in gravi aegritudine carnibus vesci.

Addo

Addo probabilius esse, Carthusianum in eo casu non posse licite carnibus vesci.

CAP. VIII. *Res. 1.* Legislatur non obligatur suis legibus, obligatione coactiva; obligatur tamen obligatione directiva.

Nisi quando lex non est accommodata statui Principis; ut cum prohibetur ne quis pretiosis vestibus utatur.

Legislatur legem suam non servans, non tam contra illam peccat quàm contra legem naturæ.

Unde etsi materia sit gravis, non peccat mortaliter eam violando, nisi sequatur grave scandalum, aliudvè incommodum notabile.

Res. 2. Infideles non baptizati, & pueri ante usum rationis, non obligantur legibus Ecclesiasticis.

Unde nec illi peccant comedendo carnes diebus jejunii, nec qui iis carnes comedendas porrigunt.

Infantes statim adepto rationis usu tenentur legibus Ecclesiasticis: nisi specialiter usque ad maturiorem ætatem dispensentur.

Res. 3. Peregrini tenentur servare leges speciales locorum per quæ transeunt, presertim eas quæ ad commodum aliquod temporale ejusmodi locorum destinantur.

A fortiori tenentur servare leges communes, etsi in eorum patria non vigeant. Unde non potest Castellanus transiens per Galliam, animalium intestinis vesci die sabbathi.

Majori ratione hæc habent locum in vagis, qui nullibi fixum habent domicilium.

Res. 4. Peregrini non tenentur servare leges suæ patriæ, quando sunt in locis, ubi non videntur.

Hinc non peccat Parisinus, non audiens Missam die sanctæ Genovefæ, in locis, ubi hoc festum non colitur.

Si die festo, antequam è tua parochia exeas, ad
aliam

aliam ubi non est festum, celebretur missa, eam audire teneris.

At si sacrum nondum fit, non teneris expectare donec celebretur, ut illud audias.

Quando in tua parochia jejunatur, potes jejunium frangere, antequam exeas ad aliam ubi non jejunatur.

Et qui jejunans mane, in loco ubi non jejunatur, accedit postea ad locum ubi servatur jejunium, non tenetur reliqua diei parte jejunare.

Qui ob jam dicta non tenetur jejunare in locis ubi servatur jejunium, tenetur saltem ibi à carnibus abstinere.

Licitum est exire è loco in quo jejunatur, eo animo ut non jejunetur in alio, ubi jejunium non obligat.

CAP. IX. *Ref. 1.* Datur lex aliqua merè poenalis, quæ scilicet non obligat ad culpam, sed tantum ad poenam.

Ut homo poenam mereatur, non requiritur culpa strictè sumpta, prout est offensa Dei, sed sufficit culpa civilis & politica.

Ref. 2. Etsi lex poenalis non obliget in conscientia ad faciendum aliquid, sic tamen obligat ad poenam subeundam, quæ pro illius transgressione decernitur.

Reus tenetur interdum, sub peccato, poenam propria actione ad eam requisita, exequi: ut tendere ad locum exilii, solvere pecunias, &c.

At non tenetur, quando poenæ sunt graviores, ut cum damnatus est ad mortem, vel ad mutilationem: ejusmodi tamen poenas, justè ipsi inflictas, pati debet.

Damnatus ad venenum bibendum, non potest tali præcepto obtemperare. Qui verò damnatus est ad mortem fame perferendam, potest cibos oblatos acceptare aut respuere.

Ref. 3. Legem transgrediens, tenetur aliquando poenam

pœnam privativam subire, ante iudicis sententiam; ut patet dum quis aliquam censuram ipso facto contrahit.

Aliàs non tenetur, ut quando pœnæ privant jure quæsito. Unde Simoniaci non tenentur renunciare beneficiis antea legitimè obtentis, nisi post sententiam iudicis.

Ufus tamen invaluit, ut conjux incestuosus privetur jure petendi debitum, ante ullam declarationem iudicis.

Quando lex dicit, transgressorem teneri pœnam subire, ante aliam declarationem, hoc intellige de declaratione pœnæ, non de declaratione criminis.

Transgressor non tenetur, ante iudicis sententiam, eam pœnam subire, quæ ad sui executionem exigit actionem rei, vel alterius.

In pœna lata sententiæ expectari debet sententia iudicis, non ad pœnam imponendam, sed ad crimen declarandum, propter quod imposta est, secus in pœna sententiæ ferendæ.

Unde si pœna confiscationis bonorum ipso facto sit imposta, adveniente criminis declaratione restituendi sunt fructus percepti, ex quo tempore patrum fuit.

Res. 4. Iudex inferior tenetur iis qui legem transgrediuntur pœnam imponere.

Legislator tamen potest pœnam remittere transgressori, ex causa rationabili.

Ad iudicem spectat, eam pœnam imponere quæ in lege determinata est: quam tamen interdum ob circumstantias occurrentes augere, vel minuere potest.

Si pœna sit lata sententiæ, tenetur iudex declarare crimen fuisse commissum, propter quod talem pœnam quis meruit, & dare operam ut ea executioni mandetur.

Cp AP. X. Res. 1. Consuetudo habet vim legis, soletque

setque definiri, Jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, quando deficit lex.

Consuetudo quæ est præter legem, novum jus constituit, sicut & illa quæ est contra legem humanam, non quæ contra naturalem, aut divinam.

Res. 2. Ut consuetudo habeat vim legis, debet versari circa materiam, de qua lex statui possit.

Et induci per actus liberos, sæpe repetitos per decennium non interruptum, eosque externos, & à majori parte Communitatis elicitos.

Requiritur etiam consensus saltem tacitus Principis, ita ut sciens novam consuetudinem introduci, non contradicat, cum commodè possit.

Res. 3. Primus effectus consuetudinis est inducere obligationem, tam ad culpam, quàm ad pœnam: & interdum ad solam pœnam.

Secundus, legem præcedentem abrogare, etiam irritantem, imò & ex causa rationabili, prohibentem contrariam consuetudinem.

Tertius, inducere legem irritantem: unde per illam: sicut abrogari, ita & induci possunt impedimenta matrimonium irritantia.

Quartus, legem interpretari, quod minus est quàm abrogare, vel inducere. Unde consuetudo dicitur optima legum interpretes.

Res. 4. Consuetudo abrogari potest per sequentem legem. Unde per Trid. abrogata est consuetudo illa, qua simplex sacerdos poterat sibi in confessarium eligere quem volebat.

Per legem universalem abrogatur tantùm consuetudo universalis, non autem specialis alicujus loci, nisi utcunque declaretur.

Neque etiam per legem particularem, latam à Principe universali, derogatur per se loquendo, consuetudini particulari.

Secus si talis lex procedat à superiore particulari. Unde lex ab Episcopo lata, opposi-

tam consuetudinem in illius dioecesi receptam tollit.

Potest etiam consuetudo abrogari per oppositam consuetudinem, ad quod decennium sufficit.

Qui novam introducunt consuetudinem, contrariam legi, aut consuetudini receptæ, peccant per se loquendo, quandiu sufficiens præscriptio deficit.

CAP. XI. *Res. 1.* Dispensatio propriè hic sumitur pro juris relaxatione, seu pro exemptione ab obligatione legis.

Unde dispensatio differt à legis interpretatione, quod hæc est opus scientiæ, & prudentiæ, illa verò jurisdictionis.

Differt à simplici permissione, quod hæc non tollit obligationem legis; quo fit ut peccat, cui contra legem agere permittitur.

Est etiam discrimen inter abrogationem, derogationem, & dispensationem, quod abrogatio totam legem pro omnibus, derogatio verò partem duntaxat tollit; at dispensatio tollit tantum hic & nunc pro tali persona.

Res. 2. Potest legislator humanus dispensare in suis Legibus, nec tantum illius superior, sed etiam successor si sit æqualis.

Quod procedit etsi lex juramento, vel à superiore sit confirmata; nisi superior novam obligandi vim ei iniicere intenderit.

Non potest inferior dispensare in lege superioris, etsi hic non sibi expressè dispensationem reservaverit.

Unde hæc potestas differt à potestate absolvendi à censuris, quæ censetur data inferiori, quando non reservatur.

Potest tamen inferior dispensare, ex consuetudine præscripta, in re levi, in casibus sæpe accidentibus, & cum necessitas urget, nec superior commode adiri potest.

Quan-

Ref. 3. Quando inferior dispensat in lege superioris, ut valeat dispensatio, legitima causa requiritur.

At superior validè sine causa rationabili dispensat, peccat tamen venialiter ita dispensans. Imò & mortaliter, si hinc grave oriatur scandalum.

Inferior peccat mortaliter, in lege superioris sine justa causa dispensando: potest tamen bona fides eum excusare.

Tenetur superior dispensationem concedere, quando constat eam in bonum communitatis, vel alicujus particularis notabiliter cessuram.

Quando dispensatio non est debita, potest legislator eam concedere sub aliquo onere: non autem quando tenetur eam dare.

Imo de factò, inferiores eodem modo dispensant: ut patet dum Episcopus cum onere dispensat quoad observationem festorum, aut jejuniorum.

Ref. 4. Tunc nulla est dispensatio, quando tacetur aliquid in petitione, quod secundum jura, aut consuetudinem exprimi debet.

Unde concessio beneficii censetur irrita, quando impetrans non declarat, se aliud quantumvis exiguum habere.

Quod verum est etiam si quod tacetur tale sit, ut eo detecto superior dispensationem æquè esset concessurus.

Item etsi ignoranter, quod dicendum est, taceas, quò fit ut non valeat dispensatio, si procurator tuus, te inscio, quæ dicenda sunt, reticet.

Taciturnitas veri, per se loquendo, invalidat dispensationem, quando tacetur aliquid ad rem pertinens, quo agnito superior non dispensasset, secus si dispensasset quidem, sed non tam facile.

At, si quod tacetur non spectat ad materiam

dispensationis, valet dispensatio, etsi eo cognito superior non esset concessurus.

Quare ad valorem dispensationis, non opus est ut petens declaret, eam aliàs sibi esse negatam, vel similem sibi fuisse concessam.

Excipe, nisi id cedat in præjudicium tertii, vel aliter superior non possit intelligere quantitatem gratiæ quam concedit.

Valet tamen secunda dispensatio in voto castitatis, etsi non memineris primæ, si eadem causa petendi adhuc perseverat.

Res. 5. Expressio falsi irritat dispensationem, quando est causa finalis, & non tantum impulsiva illius concedenda.

In dubio, an causa falsò expressa sit finalis, an tantum impulsiva, præsumendum est eam esse impulsivam.

Dispensatio valet, quando erratur circa nomen personæ, pro qua dispensatio petitur: nisi dispensans ex falso nomine intelligat aliquem sibi notum.

Non valet autem quando erratur in persona, quæ designatur, ad expediendum rescriptum.

Res. 6. Ille qui demandatur executio dispensationis, debet in primis esse Doctor in Theologia, aut iure canonico.

Requiritur secundò, ut si approbatus ab Ordinario, ad confessiones audiendas, idque respectu petentis executionem dispensationis, si absolute indigeat.

Tertiò, ut non dispenset nisi cognita causa petendæ dispensationis, de qua fit mentio in rescripto.

Quartò, ut audiat confessionem pœnitentis: quando culpabiliter mutavit propositum.

Quintò, ut dispensando ea opera imponat, quæ in Bulla sunt determinata.

Sextò, ut non dispenset in matrimonio contrahendo,

hendo, nisi impedimentum affinitatis ex copula fornicaria contractum occultum sit.

Septimò, ut conjugem ignarum impedimenti, certiozem faciat nullitatis matrimonii, eosque ante executionem dispensationis separari curet, si commodè fieri potest.

Octavo, ut post collatam dispensationem litteras dilaniet, neque eas parti restituat.

CAP. XII. *Res. 1.* Obligatio legis cessat cessante causa illius finali & adæquata; idque aut simpliciter, aut tantum pro aliquo tempore, juxta cessationem causæ.

Ad cessationem legis requiritur, ut causa illius totalis cesset respectu communitatis.

Et tunc qui ex communitate advertunt causam cessasse, possunt contra legem agere, non autem alii.

Res. 2. Lex potest abrogari, vel præcisè tollendo obligationem illius, vel statuendo legem contrariam; & prior modus valet, sine causa, non posterior.

Quovis ex istis modis fiat legis abrogatio, ut ea valeat, requiritur illius promulgatio.

Princeps validè abrogat leges quæ sunt juris communis etsi earum mentionem non faciat: at non eas quæ sunt extra jus commune.

Debet tamen superior abrogando legem, illius mentionem facere, si juraverat se ei non derogaturum.

Res. 3. Duplex tradi solet legum interpretatio, alia authentica, alia doctrinalis.

Ille tantum potest legem authenticè interpretari, qui potest eam statuere.

Sacra Congregatio Cardinalium, ex commissione Sedis Apostolicæ, authenticè interpretatur quæ in Concilio Trid. statuta sunt.

Lex non obligat in iis casibus qui per Epiikeiam

in ea non censentur comprehensi, etsi verba aliud sonare videantur.

Potes sequi sententiam probabilem, quæ te à legis obligatione liberat, at in dubio, consulendus superior, aut si non potes, liber manes.

Lex debet explicari juxta proprietatem verborum nisi ex proprio sensu sequeretur aliquod inconueniens.

Res. 4. Lex favorabilis debet explicari juxta proprietatem verborum, non modo naturalem, sed etiam civilem. Unde nomine filii intelligitur etiam adoptivus.

At in lege præceptiva, aut pœnali communis verborum sensus sequendus est, illiusque mitior interpretatio.

Lex non est extendenda, ob similitudinem rationis, ad casum in ea non comprehensum.

Quod non tantum in lege pœnali, sed etiam in favorabili locum habet.

Nec tantum in casu, in quo aliqua dissimilitudo reperitur, sed etiam in plane simili.

Excipe 1. correlativa 2. æquiparata 3. subordinata. Nam quod ad illa spectat, dispositum in uno censetur dispositum in alio.

Debet tamen iudex, quando propria lex deficit, sententiam ferre juxta id quod in simili casu statutum est.

LIBER II.

DE PECCATIS.

CAP. I. **E**tsi ad moralitatem actus requiratur libertas, id tamen quo actus constituitur formaliter moralis, seu in genere moris, non est libertas.

Quod actus sit moralis, id habet per ordinem ad
 obje-

objectum, non entitativè spectatum, sed moraliter, seu ut substat regulis morum.

Moralitas actus non est aliquid absolutum, sed relativum nec merum ens rationis, sed aliquid reale actui inexistens.

Res. 2. Bonitas vel malitia actus sumitur ab objecto, tanquam à forma extrinseca, complente potentialitatem illius.

Quod intellige de prima bonitate & malitia morali, à quacunque alia præsupposita: quæ tamen bonitate naturali, seu entitativa posterior est.

Bonitas aut malitia quam actus sumit ab objecto, est specifica: unde quæ ex circumstantiis superadditur, est accidentalis.

Res. 3. Circumstantiæ non modo actus morales comitantur, sed etiam eos quodammodo attingunt & afficiunt; adeo ut ad eorum bonitatem vel malitiam conducant.

Nullus est actus moralis, qui non accipiat aliquid bonitatis, vel malitiæ à quibusdam circumstantiis.

Ut circumstantiæ dent bonitatem aut malitiam, satis est quod secundariò, aut concomitanter sint volita.

Continuatio tribuit bonitatem, vel malitiam actui; quæ quodammodo divisibilis est, sicut tempus quod durat.

Res. 4. Actio humana non tantùm sumit bonitatem, vel malitiam à fine operis intrinseco, qui coincidit cum objecto, sed etiam ab extrinseco, qui est finis operantis.

Actus bonus est in duplici specie bonitatis, quando homo operatur ex bono fine extrinseco, ad quem operatio non ordinatur.

Et similiter actus malus, relatus ab operante ad finem extrinsecum malum, est in duplici specie malitiæ.

Quando objectum est bonum, & finis malus, aut vice versa, objectum malum, & finis bonus, actus est simpliciter malus.

Actus ex objecto malus non sumit speciem malitiae ex fine bono, sed tantum ex objecto.

Ref. 5. Dantur aliqui actus indifferentes secundum speciem suam: ii nempe quorum objectum est medium inter conveniens rationi, & disconveniens positive.

Quando dicimus dari actus indifferentes quoad speciem, qui non sunt boni nec mali, id intelligendum est negative, non positive.

Ref. 6. Non datur actus aliquis indifferens in individuo, sed omnis ejusmodi actus, si procedat ex sufficiente deliberatione, est bonus aut malus.

Non magis durum videri debet, quod omnia opera honesto fine carentia, sint peccata, quam omnia verba otiosa.

Actus secundum se indifferens, est bonus aut malus in individuo, non ratione objecti, sed ratione circumstantiarum.

CAP. II. *Ref. 1.* Peccatum, vitium, & macula seu culpa aliquo modo virtuti opponuntur.

Virtus & vitium opponuntur positive, more contrariorum: non tamen inter illa reperitur contrarietas strictè sumpta.

Quod intellige de virtute morali, & acquisita, nam quod attinet ad virtutes per se infusas, vitia iis non opponuntur.

Vitia manent in justificatis, non tantum materialiter, sed etiam formaliter, & quoad suam rationem specificam, seu quatenus sunt habitus pravi.

Ref. 2. Vitium est contra naturam hominis, in quantum est homo: sicut vice versa virtus est secundum naturam illius.

Peccata repugnantia legi naturali, sunt absolute con-

contra naturam rationalem, at quæ repugnant legi supernaturali, non nisi ex hypothese quod homo sit elevatus ad finem supernaturalem.

Si homo spectetur secundum partem sensitivam, peccata materialiter spectata non sunt contra naturam hominis, sed potius juxta inclinationem illius.

At peccata sumpta formaliter, non sunt contra, aut juxta naturam hominis, eo modo spectari.

Sunt præterea quedam peccata contra naturam, quæ repugnant etiam naturæ, quam homo habet communem cum brutis.

Res. 3. Peccatum omissionis plerumque non est sine aliquo actu positivo, qui sit directè, vel indirectè causa illius.

Absolutè tamen non videtur repugnare, quin sine aliquo tali actu esse possit.

Ut ommissio sit voluntaria, non opus est quod per aliquem actum sit voluta, sed sufficit quod omittatur actus, quando poni debet.

In omissione distinguitur peccatum actuale ab habituali: in ea est etiam virtualis conversio ad creaturas.

Requiritur motivum formale, ut voluntas velit agere, aut positivè actum suspendere: non autem ut negativè se habeat, actum suspendendo.

Potest dari ommissio peccaminosa actus externi, sine aliquo actu qui sit causa illius sive directè, sive indirectè.

Res. 4. Actus qui est causa, vel occasio omissionis præcepti, est peccatum, etsi aliàs malus non sit.

Est autem peccatum contra ejusmodi præceptum, non quidem directè & per se, sed tantum per accidens & indirectè.

Actus verò qui tantum concomitantè se habet ad omissionem malam, non est malus, nisi aliunde talis sit.

Unde si ex negligentia, vis sacro non interesse, malum non est studio vacare tempore sacri.

Peccat tamen sacerdos, Breviarium in mare projiciens, etsi ea projectio non fiat nisi post efficacis propositum horas non recitandi.

Ref. 5. In actu qui causat omissionem, est eadem specie malitia, quæ in ipsa omissione reperitur.

Unde omittens sacrum ut studeat, censetur studendo, peccatum omissionis, non commissionis perpetrare.

Imò in eo actu est eadem numero malitia. Unde qui omisit sacrum propter studium, tenetur tantum in confessione dicere, se sacrum omisisse.

Ref. 6. Quando omissio culpabilis contingit, quo tempore vitari non potest, ea pro tunc non imputatur ad culpam, sed pro tempore quo causa omissionis liberè posita est.

Unde si Titius die Dominica se inebriat, antequam Missam audiat ommissio sacri non ei imputatur pro tempore quo ebrius est, sed pro eo quo se inebriavit.

Ille peccat mortaliter qui die Dominica somno sedat animo non audiendi Missam; etsi postea excitatus Missam audiat.

Ref. 7. Peccatum rectè definitur ab Augustino, dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.

Verùm ut hac definitione, etiam peccatum omissionis comprehendatur, dic eam sic debere intelligi, ut peccatum sit dictum, vel non dictum, factum vel non factum, &c.

Omnia peccata sunt aliqua lege prohibita, nempe aut positiva, aut naturali: sicut sunt peccata, quia tali lege prohibentur.

Lex naturalis prohibet furtum, adulterium, &c. quia tales actus ex se objectivè sunt mali: at sunt formaliter mali quia fiunt contra legem naturalem.

Probabilior videtur eorum sententia qui dicunt
formale

formale peccati non consistere in privatione, sed in ratione aliqua positiva.

Patres frequenter agunt de peccato, oratorio more: magisque attendunt ad varios effectus, quam ad quidditatem illius.

Etsi Deus concurrat ad totam entitatem peccati, id facit præter intentionem, adeoque non est propria causa illius:

CAP. III. *Res. 1.* Peccata distinguuntur specie ratione objectorum; quod S. Doctor vult intelligi de peccatis, ut sunt actus voluntatis, non autem ut quaedam deordinationem adjunctam habent.

Dici etiam potest, specificam peccatorum distinctionem sumi à fine. Verum hæc duo in unum coincidunt.

Res. 2. Peccata non distinguuntur specie, per ordinem ad præcepta materialiter diversa, sed per ordinem ad distincta formaliter.

Circumstantia dat novam speciem peccati actuali malo, quando infert specialem ordinem deformitatis ad rectam rationem.

Peccata dividi solent in carnalia, & spiritualia, quorum illa in carnali, hæc in spirituali delectatione perficiuntur.

Varie sunt species luxuriæ, nempe fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, peccatum contra naturam, &c.

Oscula facta ex honesta amicitia, non sunt peccata; at facta ob delectationem veneream, à mortali excusari non possunt.

Tactus inhonestus ex causa necessaria factus, non est illicitus: potest etiam excusari à mortali, si fiat tantum ex levitate, aut vana curiositate, sine ulteriori periculo. Secus si ex turpi delectatione.

Pollutio directè, & per se voluntaria, est peccatum mortale, non quando præter intentionem

sequitur ex causa honesta; vel etiam ex inhonesta; quæ proprium finem habet, ut est ebrietas.

Pollutio quæ in somnis contingit, non est per se mala: est tamen peccatum mortale; aliquid facere in vigilia ex intentione ut in somnis contingat.

Ref. 3. Peccata dividi etiam solent in peccata contra Deum; contra proximum, & contra seipsum.

Sicut sunt quædam virtutes quæ nos rectè ordinant erga Deum, aliæ erga proximum, aliæ erga nos ipsos.

Divisio illa est adæquata includens omnia peccata; estque generis in species.

Dividuntur rursus peccata; in peccata cordis, oris, & operis: quæ divisio est tantum secundum diversos gradus peccati in eadem specie.

Potest tamen illa divisio applicari ad diversas species peccatorum, quorum alia in corde, alia in ore, alia in opere perficiantur.

Ref. 4. Alia est divisio peccati; in peccatum commissionis, & omissionis; eaque generis in species distinctas.

Peccata commissionis & omissionis distinguuntur specie, sive diversis virtutibus, sive eidem opponantur.

Divisio peccati in commissionem & omissionem est adæquata; nec debet admitti conatus aliquis, qui non sit actus.

Ref. 5. Celebris est divisio peccati in mortale, & veniale; quæ distinguuntur inter se sicut reparabile, & irreparabile.

Peccatum dicitur veniale tripliciter; ex genere, ex subreptione, & ob parvitatem materiæ.

Veniale ex genere differt specie à mortali: at veniale ex subreptione; vel ex parvitate materiæ convenire potest in specie cum mortali.

Veniale ex subreptione; vel ex parvitate materiæ per se disponit ad mortale: at veniale ex genere, tantum indirectè.

Ref. 6.

Res. 6. Distinctio peccati in mortale & veniale non est merè extrinseca, sed sumitur ex ipsa rei natura, ita ut aliqua sint peccata ex se venialia.

Etsi Deus peccatis offendatur, id non impedit, quin sint quædam peccata ex se levia.

Peccatum, etsi veniale, pro nullo bono consequendo, aut malo vitando patrandum est.

Peccata etiam levia divina lege prohibentur; communiter tamen dicere malunt Theologi esse præter, quàm contra illam.

Peccatum primi parentis spectatis circumstantiis, erat grave, quamvis esset in materia per se levi.

Res. 7. Non repugnat eundem specie, & numero actum, sive externum sive internum, modo esse peccatum veniale, modo mortale.

Veniale etiam fit mortale, quando finis ultimus in eo constituitur, sive explicitè, sive implicitè.

Item ex conscientia erronea, ex contemptu, ex proximo periculo labendi in mortale, ex scandalo inde orro.

CAP. IV. *Res. 1.* Peccata omnia non sunt connexa inter se, sicut neque eorum objecta: quin alia sunt sibi invicem contraria.

Sæpe tamen unum peccatum est inseparabiliter conjunctum cum alio; & ab uno multa procedunt.

Et qui peccat in uno, dicitur omnium reus, quia amittit gratiam, & totum jus ad gloriam.

Res. 2. Peccata omnia non sunt paria, sed unum eò gravius est alio, quò illius objectum rectæ rationi magis adversatur.

Esse extra lineam mathematicè loquendo, consistit in indivisibili; ac moraliter id habet magis & minus.

Res. 3. Gravitas peccatorum petenda est maximè ex objecto, unde sumitur essentialis eorum species.

Sumitur etiam à circumstantiis, ita ut hæ vel addãt novam speciem malitiæ, vel præexistentem accidentaliter tantùm augeant.

Unde triplex quantitas, seu gravitas in peccato distinguenda. 1. essentiæ. 2. multitudinis. 3. intensiõnis.

Unum peccatum levius alio quoad objectum, potest simpliciter eo esse gravius, ratione circumstantiarum.

Ref. 4. Gravitas peccatorum aliquo modo sumitur, per se loquendo, ex præstantia virtutum quibus opponuntur.

Vitia capitalia dicuntur principalia, non quòd aliis omnibus sint graviora, sed quia multa ex iis procedunt.

Potest tamen contingere ratione circumstantiarum, ut peccatum minori virtuti repugnans, sit gravius: quomodo intemperantia est foedior timiditate.

Unde etiam fit ut fornicatio sit majus peccatum, quàm furtum, etsi temperantia sit virtus minus præstans quàm justitia.

Ref. 5. Peccata carnalia sunt minoris culpæ, quàm spiritualia, scilicet per se loquendo, & spectato proprio genere.

Interdum tamen propter speciales differentias, aut occurrentes circumstantias, peccata carnalia sunt graviora spiritualibus.

Verùm etsi peccata carnalia sint ex se minoris culpæ, sunt tamen majoris infamiæ.

Ref. 6. Attenditur etiam gravitas peccati secundùm causam illius, ita ut eò peccatum sit gravius, quò quis majori conatu sive intensivè, sive extensivè, aut ex pejori fine peccat.

Causæ verò extrinsecæ, quæ minuunt judicium rationis, ut ignorantia, aut libertatem, ut infirmitas, violentia, metus, & similia, peccatum minuunt.

Peccat

Peccatum sumit gravitatem non solum à fine intrinsicò, sed etiam ab extrinsicò, qui novam mali speciem addit.

Furari propter ipsum furtum, est gravius peccatū in ratione furti, quam furari propter adulterium: verum postèrius hoc furtum est peccatum absolutè gravius.

Eò peccatum est gravius, quò ex peiori fine extrinsicò perpetratur.

Ref. 7. Circumstantia interdum mutat speciem, quamvis non se habeat, ut finis, ut dum quis ob delectationem carnalem, accedit ad uxorem alterius.

Aliquando verò non tantum novam addit speciem malitiæ, sed etiam præcedentem auget intra illius speciem.

Ref. 8. Peccati malitia augetur ex nocumento prævisò & intento; ut dum fur, vel homicida operatur ad nocendum alteri.

Si verò nocumentum nec prævisum est, nec intentum, sic non auget peccati malitiam, nisi sequatur per se ex actu peccati.

Quod si nocumentum sit prævisum, at non nisi implicitè seu virtualiter volitum, id sufficit ut ad culpam imputetur.

Ut prædictum impedimentum tibi sit implicitè seu indirectè voluntarium, requiritur ut possis & tenearis illud vitare.

Ref. 9. Peccati gravitas augetur ex circumstantia personæ quæ offenditur, quod intellige, cæteris paribus.

Debet etiam fieri comparatio inter peccata ejusdem rationis, non inter ea quæ sunt diversæ speciei.

Interdum eadem illa circumstantia personæ quæ aggravat unum peccatum, minuit aliud.

In confessione declaranda est juxta communiorè sententiam, non modo circumstantia personæ, quæ mutat speciem, sed etiam illa quæ notabiliter aggravat.

Ref.

Res. 10. Dignitas personæ peccantis aliquando peccatum minuit, quando nimirum committitur peccatum ex subreptione.

Aliàs auget, ut cum peccatum procedit ex deliberatione, ejusmodi enim peccatum eò magis imputatur alicui, quò major est in virtute.

Porro hic idem est peccatum ex subreptione & peccatum ex infirmitate: at verò peccatum ex deliberatione cum peccato ex malitia coineidit.

Circumstantia personæ peccantis, & illius inquam peccatur, immutat interdum peccati speciem: at neutra peccatum veniale mutat in mortale.

CAP. V. Res. 1. Omnia peccata sunt subjective in voluntate, quod intellige de peccatis, ut sunt formaliter peccata.

Sunt tamen peccata in aliis potentiis; secundum malitiam objectivam, aut formalem extrinsecam spectata.

Actus mali à voluntate imperati, habent malitiam objectivam independentem ab actu illius: at formalem malitiam non habent nisi extrinsecè, per denominationem ab illo.

Res. 21. Peccatum esse potest in sensualitate, non quidem secundum se spectata, sed quatenus subiacet imperio rationis.

Morus sensualitatis praveniens rationis deliberationem, non omnem, sed plenam, est peccatum veniale.

Peccatum objective sumptum est in membris, ut in subjecto, quod tantum movetur à voluntate, at in appetitu ut in subjecto, quod aliquatenus se movet.

Res. 3. Non modò peccatum veniale, sed etiam mortale potest esse in appetitu sensitivo, ut subdito rationi.

Non tamen omnis motus appetitus sensitivi circa illicita, est peccatum, sive mortale, sive veniale.

Res. 41.

Res. 4. Peccatum potest esse in ratione, ita scilicet ut actus intellectus non sit formaliter malus, nisi denominativè à malitia quæ residet in voluntate.

Peccatum morosa delectationis est in ratione, quatenus non reprimit motum inordinatum, sed circa illum immoratur.

Res. 3. Ut motus sensualitatis sit peccatum, requiritur, ex parte intellectus, quædam rationis advertentia cognitio malitiæ, & deliberatio aut perfecta, si peccatum sit mortale, aut imperfecta, si sit veniale.

Unde triplex motus sensualitatis distinguendus: primò primus, qui non est peccatum; secundo primus, qui est peccatum veniale: & deliberatus, qui est mortale.

Ad peccatum mortale, non opus est quòd intellectus advertat actum esse mortaliter malum, sed sufficit quòd cognoscat esse malum.

Si quis tamen determinatè judicaret, actum illum, qui à parte rei est peccatum mortale, non esse nisi veniale, ille non peccaret mortaliter.

Ut motus sensualitatis sit peccatum, requiritur liber consensus voluntatis.

Res. 6. Non tamen ad hoc requiritur formalis consensus voluntatis, sed virtualis sufficit.

Consensus verò interpretativus non sufficit ad peccatum mortale: qualis habetur: quando quis motui inhonesto nec dissentit, nec consentit, sed negativè se habet.

Peccatum tamen est mortale, tales motus permittere, quando est periculum pollutionis, aut consensus pravi: & veniale, extra tale periculum.

Verùm nullum est peccatum, ejusmodi motus non cohibere, quando est rationabilis causa eos negligendi.

Res. 7. Peccatum est mortale, delectari de objecto cogitationis pravæ, non autem delectari de cogitatione ipsa.

Non est peccatum mortale; delectari inefficaciter de re graviter mala, à qua per intellectum malitia separari potest.

Quod si malitia ab objecto, separari nequit, delectatio voluntaria, et si inefficax talis objecti, est peccatum mortale.

Unde de cogitata fornicatione voluntariè delectari, etiam sine animo eam opere complendi, peccatum est mortale.

Nec licet viduæ delectari de actu præterito matrimonii, aut sponsis, ante celebratas nuptias, de actu futuro.

CAP. VI. *Res. 1.* Ignorantia antecedens, seu invincibilis, est causa peccati, non formaliter, sed materialiter spectati.

At verò ignorantia consequens, seu vincibilis, potest esse causa peccati, etiam formaliter sumpti.

Non quælibet ignorantia peccatis est causa peccati, sed ea tantum quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati.

Res. 2. Ignorantia invincibilis non est peccatum, sed vincibilis, si sit eorum quæ quis scire tenetur.

In ignorantia culpabili tria considerantur. 1. negligentia, quæ est formaliter intrinsecè mala. 2. ignorantia actualis, quæ habet malitiam objectivam, & formalem extrinsecam. 3. ignorantia habitualis, quæ est effectus peccati.

Ignorantia illa dicitur invincibilis, quæ manet etiam si homo pro loco, & tempore adhibeat diligentiam moraliter sufficientem, ut eam expellat.

Ignorantia vincibilis est speciale peccatum quando scientia opposita secundum se præcepta est; aliàs non.

Res. 3. Ignorantia antecedens, qua fit opus de se malum, quod non fieret si ea abesset, à peccato excusat.

Hinc non peccat Titius occidendo hominem, quæ invincibiliter putat esse feram, si talis ignorantia est causa occisionis.

Excus-

Excusat etiam ignorantia invincibilis, cum qua Titius hominem occidit, putans esse feram, etsi ignorantia illa non sit causa occisionis.

Ignorantia consequens affectata auget peccatum, quando affectatur ut liberius peccetur: minuit verò, quando affectatur ad cavendam irreverentiam erga Deum.

At ignorantia crassa, seu supina, quæ tantum indirectè est volita, peccatum minuit, sicut & voluntarium.

Ref. 4. Datur etiam alia causa interna peccati, ex parte appetitus sensitivi, voluntatem per passionem ad malum trahentis.

Peccatum ex passione, dicitur peccatum ex infirmitate; ob similitudinem infirmitatis animæ, cum infirmitate corporis.

Amor sui est principium omnis peccati, quatenus omnis actus inordinatus respicit bonum commutabile tanquam objectum, & terminatur ad ipsum peccantem, ut ad finem cui bonum illud appetitur.

Juxta triplicem appetitum inordinatum boni, triplex est causa peccati nempe concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.

Ref. 5. Passio minuit peccatum, quatenus se habet antecedenter ad voluntatem, eam trahendo & inclinando ad malum.

Quatenus verò se habet consequenter ad actum illius, sic auget peccatum, seu potius est signum magnitudinis ejus.

Nota passionem jam excitatam à voluntate posse eam movere ad agendum cum majori constantia & intentione, sicque esse causam actus secundum quid.

Passio quæ totaliter aufert usum rationis, excusat totaliter à peccato, si à principio non fuit voluntaria. Secus quæ non totaliter usum rationis intercipit.

Ref. 6.

Ref. 6. Interdum peccant homines ex malitia, ita ut hæc etiam sit causa interna peccati.

Dicitur homo peccare ex malitia, quatenus non ex errore intellectus, nec ex passione, sed ex certa scientia, & mera libertate malum perpetrat.

Aliud peccatum ex malitia, quod vulgò dicitur esse contra Spiritum sanctum, consistit in eorum abjectione quæ peccati electionem poterant impedire.

Peccatum ex malitia per se loquendo, & cætera sunt paria, est gravius peccato ex passione.

CAP. VII. *Ref. 1.* Deus non est causa peccati sive directè, sive indirectè, etsi nonnullis non præbeat auxilium, quod si præberet, non peccarent.

Deus dicitur aliquos tradere in reprobum sensum in quantum non prohibet quin ii, suum reprobum sensum sequantur.

Deus ut causa prima & universalis, concurrat ad actus pravorum entitativè spectatos, idque per influxum immediatum, & intrinsecum.

Non tamen impellit hominem sive moraliter, sive physicè ad actum pravam, adeoque non est propriè causa illius, in sensu ab Ecclesia damnato.

Deus est causa excæcationis & indurationis, quantum ad subtractionem gratiæ efficacis, quam si daret, cor emolliretur.

Ref. 2. Diabolus non est homini directè causa peccati, sed tantum per modum persuadentis, vel proponentis appetibile.

Voluntas, quæ est inclinatio universalis, non potest causari nisi à Deo, qui est bonum universale. Idem dicitur de materia, quæ est in potentia ad omnes formas.

Diabolus potest ad peccatum inducere, non tantum exterius proponendo objectum, sed etiam interius movendo phantasiam, & appetitum sensitivum.

Etiam Dæmon, per se loquendo, possit hominem indu-

inducere ad eliciendum ex necessitate, actum de se malum; non tamen ad peccandum ex necessitate.

Res. 3. Secundum fidem admittendum est peccatum originale, in posteros Adæ per generationem transfusum.

Illa transfusio non est physica sed moralis, ex pacto, ad quam sufficit, quòd homines viâ ordinariâ, ex Adæ stirpe oriantur.

Peccatum actuale debet esse voluntarium, voluntate particularis peccantis: at satis est quòd originale sit voluntarium, voluntate communi, seu capituli.

Res. 4. Sententia quæ afferit B. Virginem fuisse ab originali præservatam, latè defenditur tanquam probabilior, magisque pia.

Peccatum veniale, à quo omnium consensu B. Virgo fuit immunis, minùs repugnat illius dignitati, & sanctitati, quàm originale.

B. Virgo fuit immunis à fomite peccati, à dolore partus, à sordibus puerperii, à corruptione corporis, aliisque defectibus peccati originalis.

Et si concedam, B. Virginem peccasse in Adamo, & à Christo fuisse redemptam, inde non sequitur eam, peccato originali infectam fuisse.

B. Virgo fuit baptizata, ut fidei Christianæ caractere insigniretur, aliorumque sacramentorum capax fieret; non autem ut ab originali purgaretur.

Res. 5. Excepta B. Virgine, omnes posteri Adæ, via ordinaria geniti, concipiuntur, in peccato originali.

Prædestinati, & fidelium filii nascuntur cum peccato originali, sicut ex olea nascitur oleastrum.

Si quis ex carne humana miraculosè formaretur, ille non contraheret peccatum originale.

Si non Adam, sed Eva tantùm peccasset, eorum filii non contraherent peccatum originale.

Res. 6.

Ref. 6. Peccatum originale non est propensio illa, qua concupiscentia fertur in illicita, præveniendò usum rationis.

Nec est formaliter peccatum ipsum actuale Adæ, ut per illud omnes ejus posterì extrinsecè denominantur peccatores.

Quare peccatum originale consistit formaliter, saltem ex parte, in privatione justitiæ originalis, debitæ inesse: quæ formaliter tollitur per gratiam baptismalem.

Cum dicitur *Rom. 5.* per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, intellige causaliter, non formaliter.

Privatio justitiæ originalis est in nobis peccatum originale, simulque est pœna peccati primi parentis.

Peccatum originale non est quæcunque privatio gratiæ, sed privatio gratiæ ob peccatum primi parentis; qua ratione non est in baptizatis.

Licet peccatum primi parentis non sit intrinsecè peccato originali; illius tamen connotatio huic peccato est essentialis.

CAP. VIII. *Ref. 1.* Natura humana aliquo modo corrupta est per peccatum, non quidem quoad principia & proprietates naturæ, sed quoad inclinationem naturalem ad virtutem, quæ per peccatum minuitur.

Et si talis inclinatio, quæ homini convenit ut est rationalis, possit per peccatum minui, non tamen totaliter tolli.

Quatuor sunt naturæ vulnera, ex peccato primi parentis consequentia, nempe infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiscentia.

In ratione est vulnus ignorantiæ; in voluntate, vulnus malitiæ; in irascibili, vulnus infirmitatis; in concupiscibili, vulnus concupiscentiæ.

Mors, aliique defectus corporales naturæ humanæ, non sunt per se effectus peccati primi parentis, sed

sed per accidens , nimirum removendo prohibens.

Res. 2. Anima contrahit maculam per peccatum , sicut corpus nitidum per contactū alterius corporis.

Ejusmodi macula manet in anima , quamdiu illa non redit ad lumen divinum , per motum voluntatis priori oppositum.

Macula peccati non est privatio gratiæ , nec reatus pœnæ , nec habitus realis ex actu peccati productus , sed ipsum peccatum actuale , quatenus moraliter adhuc perseverat.

Res. 3. Reatus pœnæ est effectus peccati ; quatenus peccans agit contra ordinem rationis , legis humanæ , & divinæ ; adeoque incurrit pœnam à seipso , ab homine , & à Deo.

Peccatum ut peccatum , non potest esse per se & directè pœna alterius peccati , ad illud puniendum à Deo immissa.

At nec peccatum materialiter spectatum , potest esse pœna alterius peccati , à Deo directè intenta , & volita.

Quod ait Paulus , Deum quosdam tradidisse in desideria cordis eorum , verificatur , quatenus deserti homines à gratia divina efficaci , vincuntur à passionibus.

Res. 4. Peccato mortali respondet duplex pœna æterna , altera damni , quæ consistit in privatione visionis Dei ; altera sensus , quæ in cruciatibus ab igne infernali causatis , posita est.

Pœnæ damnatorum , æqualem semper intensiōnem habebunt , ita ut nunquam minuendæ , vel augendæ sint.

Pœna damnatorum , etsi æterna , est proportionata eorum culpæ , neque est major quàm culpa ipsa mereatur.

Res. 5. Peccato mortali non debetur pœna infinita secundum quantitatem , seu intensiōnem graduum.

Illius tamen gravitas cæteris paribus , est major quacunque offensa personæ minus dignæ.

Morta-

Mortaliter peccans dicitur valdè improprie Deū, ex se, destruere, quatenus ultimum finem suum constituit in creatura.

Pœna damnatorum sive damni, sive sensus est simpliciter finita. Est tamen inter illas discrimen, nam prior est infinita secundum quid, posterior verò simpliciter finita.

Pœna sensus non est æqualis in omnibus damnatis; at pœna damni, ut privatio visionis Dei est in omnibus æqualis, non autem ut pœna.

Res. 6. Infantes qui cum solo originali moriuntur, non puniuntur pœna sensus; puniuntur tamen pœna damni.

Ex communi sententia, privatio visionis Dei non est conjuncta in infantibus, cum tristitia & dolore.

Imò aliqui probabiliter existimant, eos habere perfectam cognitionem rerum naturalium, adeoque potiri beatitudine quadam naturali.

LIBER III.

DE FIDE.

CAP. I. **O**bjectum materiale primarium fidei est *Res. 1.* Deus; quod intelligendum est de Deo absolute, ut Deus est, seu sub ratione Divinitatis.

Totale verò & adæquatum fidei objectum est, quicquid sub divinam revelationem cadit.

Ejusmodi res omnes non sunt ex se, & ex proprio merito æquè credibiles, sunt tamen quatenus omnes à Deo sunt revelata.

Res. 2. Deus est formale objectum fidei, seu id quo intellectus noster movetur ad assentiendum rebus revelatis.

Hoc autem Deo competit, quatenus est prima veritas, quæ nec falli potest, nec fallere; non autem quatenus est Deus, aut misericors, &c.

Vera-

Veracitas divina resolvitur in Divinitatem, velut in causam virtuales effendi, non ut in motivum assentiendi.

Res. 3. Deus ut revelans, pertinet ad objectum formale fidei, ita ut credamus aliquid, non modo quia Deus revelans verax est, sed etiam quia ipse illud revelavit.

Cognitio finis est tantum id quo finis cognoscitur, at revelatio divina est id etiam quod cognoscitur & approbatur.

Deus est primarium objectum virtutis Theologicæ, revelatio tamen spectat ad totale objectum fidei, & beatitudo formalis ad totale objectum spei.

Non est absurdum credere, Deum esse veracem, quia ipse dixit: secus, id credere de homine, qui falli potest, & fallere.

Credimus articulos fidei esse veros, & revelatos, propter revelationem; sicut per lumen video colorem, & lumen ipsum.

Res. 4. Revelatio publica facta toti Ecclesiæ sufficit ad objectum formale fidei, quamvis absolute necessaria non sit, sed sufficiat revelatio privata.

Actus fidei elicited ex revelatione privata, est ejusdem speciei cum illo qui elicited ex revelatione publica.

Unde fides dicitur Catholica, per accidens: & Ecclesia sola est certa fidei regula, ordinariè tantum.

Res. 5. Revelatio ad fidem spectans debet esse obscura, ex parte rei revelatæ; ita ut quod creditur non cognoscatur clarè, ut in se est.

Imò fides per se fundari non potest in revelatione, quæ sit evidens, ex parte sui.

Ex multorum sententia, primus Angelus evidenter cognoscebat revelationem, quam habuit in vis, esse à Deo.

Fides tamen potest esse in eodem subjecto, simul
b
cum

cum evidentia revelationis; ut patet exemplo primi Angeli, B. Virginis, & Apostolorum.

Res. 6. Nunquam Deus de facto falsum dixit, neque potest de lege ordinaria, vel absoluta dicere falsum.

Quod ita debet intelligi, ut Deus neque per seipsum, neque per alium mentiri possit.

Non potest Deus aliquem directè inclinare in errorem: & scriptura quæ aliquando oppositum videtur indicare, permissivè intelligenda est.

Res. 7. Revelatio virtualis, seu mediata non sufficit ad fidem, sed tantum assensum Theologicum.

Eò ipsò quòd Deus revelat Christum esse hominem, formaliter censetur revelare eum anima rationali præditum esse, non tamen esse risibilem.

Neque etiam ad fidem sufficit falsa revelatio, quæ vera existimetur: unde Idiotæ multa credentes, ut à Deo revelata, quæ revelata non sunt, ut sic actus veræ fidei non eliciunt.

Potest tamen voluntas elicere veros actus virtutum moralium, circa falsa objecta, quæ ut vera ab intellectu repræsentantur.

CAP. II. *Res. 1.* Ad fidem requiritur propositio aliqua rerum credendarum, per quam res illæ fiant evidenter credibiles.

Unde evidentia requiritur, non circa res ipsas fide creditas, aut earum veritatem, sed circa earum credibilitatem.

Non rarò duæ propositiones contradictoriæ sunt evidenter credibiles, quamvis earum altera sit impossibilis.

Qui non habent evidentiam credibilitatis, non habent fidem perfectam; possunt tamen rudes, beneficio pastorum, ejusmodi evidentiam assequi.

Res. 2. Multa sunt motiva nostræ fidei. 1. quòd nihil tradat, quòd falsitatis convinci possit. 2. Quòd mores sanctè instituat. 3. quòd à paucis hominibus doctrina
& po-

& potentia destitutis, in totum orbem introducta sit. 4. quòd illius doctrina sit antiquissima. 5. quòd à viris fide dignissimis sit prædicata. 6. quòd ab infinitis hominibus omnis ætatis, & sexus, inter atrocissima tormenta sit defensa, & confirmata. 7. quòd innumeris fere miraculis; variis temporibus & locis illustrata fuerit.

Ref. 3. Admittenda est in Ecclesia infallibilis aliqua fidei regula, quæcunque illa sit, per quam vera à falsis certo distingui possint.

Ut quis teneatur rem aliquam credere tanquam infallibilem, requiritur ut proponens eam confirmet, per aliquam infallibilem fidei regulam.

Semper fuit in mundo Verbum Dei scriptum, aut non scriptum, ex quo sumi potuit infallibilis fidei regula.

Ref. 4. Scriptura sacra est infallibilis fidei regula, tanquam verbum Dei, in quo quicquid continetur est verum, & fide divina credendum.

Scripturæ sacræ, etsi obscuræ, verus sensus haberi potest ex definitionibus Ecclesiæ, aut communi Patrum interpretatione; qua ratione est certa fidei regula.

Traditio non scripta est etiam fidei regula, eaque non minus certa, quam verbum Dei scriptum.

Sicut ea scriptura, quæ iudicio Ecclesiæ canonica est, facit certam fidem, ita & traditio quam Ecclesia, ut divinam habet.

Ref. 5. Præter scripturam, & traditionem, ponenda est in Ecclesia, aliqua alia fidei regula, quæ res credendas infallibiliter proponere possit.

Unde Patres agnoscunt in Ecclesia Judicem visibilem, qui in rebus dubiis consuli possit, & ad quem spectet, quid credendum, quid non credendum sit, statuere.

Hæc regula nihil statuit esse de fide, nisi quod per scripturam, aut traditionem tale esse iudicat:

quare hoc illius iudicium infallibile esse debet.

Nec mirum quod legum explicatio ad iudicem inferiorem spectet, aut quod homo infallibilitatem habeat, ut specialiter dirigitur à Spiritu S.

Fides resolvitur in revelationem Dei, ut in rationem credendi; in auctoritatem verò Ecclesiæ, ut in regulam infallibilem qua proponitur, quid revelatum sit.

Ref. 6. Concilium generale à summo Pontifice convocatum, & approbatum, non potest errare in fide, adeoque est infallibilis credendorum regula.

Hinc damnatus est Arius in Concilio Nicæno, Macedonius in Constantinopolitano, Nestorius in Ephesino, Eutiches in Chalcedonensi, Lutherani, & Calvinistæ in Tridentino.

Vulgatumque est ex Gregorio magno, prima quatuor Concilia generalia recipienda esse, sicut quatuor Evangelia.

Probabilior est eorum sententia qui dicunt, Concilium generale ante approbationem summi Pontificis, posse errare in fide.

Non tamen requiritur talis approbatio, quando definitiones factæ sunt à Concilio, juxta particularem instructionem, per Legatos, à Pontifice præmissam.

Imò valde probabile est, Deum nunquam permisurum ut ejusmodi Concilium de facto erret, si in veritate indaganda rectè & sincerè procedat.

Ref. 7. Romanus Pontifex, in quantum Petri successor in primatu Ecclesiæ, in decidendis fidei questionibus errare non potest.

Non etiam potest errare in rebus ad mores spectantibus, præcipiendo aliquid saluti repugnans, vel prohibendo id quod ad eam necessarium est.

Unde errare nequit in Canonizationibus Sanctorum, neque in approbatione alicujus Religionis, quoad substantiam.

CAP. III. *Ref. 1.* Ad actum fidei Catholicæ prærequiritur

quiritur actus aliquis voluntatis, à quo proximè imperetur.

Intellectus ab objecto evidente, quamvis nolens, trahitur ad assensum, ab obscuro autem non movetur, nisi mediante pio affectu voluntatis.

Fides non innititur evidentia credibilitatis, tanquam motivo credendi, sed tantum testimonio Dei obscure cognito.

Ad fidem prærequiritur duplex actus voluntatis, & ad scientiam unus sufficit. Unde illa dicitur libera, hæc necessaria.

Res. 2. Actus fidei Catholicæ per se non nititur discursu, sed est simplex assensus, quo intellectus judicat, aliquid esse verum, quia Deus id revelavit.

Unde inter Theologiam, & fidem illud est discrimen, quod illa innititur discursu, hæc verò nequaquam, sed soli revelationi Dei.

Credere aliquid, quia Deus id revelavit est unicus actus intellectus; sicut amare proximum propter Deum, est unicus actus voluntatis.

Res. 3. Actus fidei potest reperiri in eodem subjecto, cum evidenti cognitione ejusdem objecti.

Credimus Deum esse, quia Deus id revelavit; & tamen hoc etiam nobis evidenter constat per lumen naturale.

Potest idem simul esse evidens, & obscurum, quando per diversa media cognoscitur, ut patet in exemplo allato.

Habitus fidei in patria non manebit, posset tamen absolute cum clara visione permanere, & habere suum actum.

Res. 4. Assensus fidei secundum se, seu ex proprio objecto est bonus & honestus; imò talis actus adeò bonus est, ut non possit fieri majus.

Possimus tamen malè uti quibusdam habitibus intellectualibus, ad quos non requiritur gratia; v. c. scientia, & arte.

Non potest actus fidei per se à Deo pròhiberi, nec actus oppositus infidelitatis præcipi.

Res. 5. Assensus fidei Catholicæ est per se & substantialiter supernaturalis, sicut & habitus à quo procedit, est per se infusus.

Actum aliquem esse per se supernaturalem, inde cognoscitur, si auxilium supernaturale semper, ratione ipsius, & non occasione adjunctarum difficultatum, requiritur ad eum eliciendum.

Intellectus ex sua natura non potest firmissimum assensum præbere, nisi veritatibus evidenter cognitis.

Potest tamen dari assensus quidam naturalis, circa idem objectum materiale fidei: ut patet ex fide hæreticorum.

Intellectus non fertur extra suum objectum quando ex motivo humano credit aliquid, sive naturale, sive supernaturale.

Damnatus est Pelagius, non quia dixit, actum aliquem fidei naturaliter elici posse, sed quia talem ad salutem sufficere existimavit.

Res. 6. Non potest esse idem objectum formale fidei humanæ, & infusæ, ita ut quis naturaliter assentiatur rebus fidei, quia à Deo revelatæ sunt.

Esse supernaturale, dicit aliquid ex parte objecti fidei, & non solum denominationem extrinsecam ab actu supernaturali proveniente.

Duo actus specie distincti non possunt produci ab eadem potentia, circa idem objectum formale.

Non ideo actus fidei est supernaturalis, quia exigit auxilium supernaturale; quin potius ideo postulat fieri ab auxilio supernaturali, quia est in se supernaturalis.

Amor, desiderium, & delectatio sunt actus distincti specie: non tamen habent idem objectum formale.

Hæreticus non credit propriè aliquid, quia à Deo revelatum est, sed quia privato spiritu, vel
autho-

authoritate hominum ad hoc credendum ducitur.

Ref. 7. Major est certitudo fidei divinæ, quam humanæ, quod intellige de certitudine objectiva, non subjectiva.

Secundum rectam rationem, certitudo etiam subjectiva fidei divinæ major esse debet, quam humanæ.

Major quoque est certitudo fidei divinæ, quam naturalis scientiæ, ob rationem assentiendi magis infallibilem.

Et si cognitio, quæ per veram demonstrationem generatur, sit infallibilis, adhuc tamen fides est infallibilior.

CAP. IV. *Ref. 1.* Datur habitus quidem fidei infusæ, qui in intellectu proximè recipitur, tanquam in potentia à qua ipse actus fidei procedit.

Ejusmodi habitus habet propriè rationem virtutis intellectualis, quæ inclinat intellectum in verum, sicut virtus moralis inclinat voluntatem in bonum honestum.

Non est de ratione virtutis, ut feratur in objectum suum modo perfectissimo; sed sufficit quod semper feratur in bonum potentiæ, in qua est, nunquam in malum.

Fides independentè à charitate est vera virtus, si virtus spectetur secundum suam rationem intrinsecam, non autem si consideretur, ut conducit ad vitam æternam.

Charitas dicitur forma aliarum virtutum, quatenus valorem quendam moralem iis confert, earum actus referendo in Deum.

Unde intelligi potest, eandem esse fidem formatam, & informem; mortuam, & vivam.

Ref. 2. Ad credendum, præter habitum fidei, non requiritur lumen aliquod infusum, ab eo distinctum.

Licet autem scientiæ naturales supponant lumen

naturale, non tamen quod ab ipsa potentia intellectiva sit distinctum.

Non etiam requiruntur ad credendum, species aliquæ credendorum supernaturales, sed ad hoc sufficiunt species naturales, quibus apprehendimus supernaturalia, per analogiam ad naturalia.

Proprium fidei est elevare ad assensum, non autem efficere, ut objectum clariùs apprehendatur, quàm per species naturales apprehendi possit.

Interdum res fidei clariùs apprehenduntur, non quòd species supernaturales ad hoc concurrant, sed quia naturales meliùs, ex divina dispositione ordinantur.

Ref. 3. Ponendus etiam est aliquis habitus in voluntate, ut ex illius imperio intellectus moveatur ad assentiendum rebus fidei.

Habitus ille in voluntate residens est virtus propriè dicta, ex se, & sine ullo ordine ad finem aliquem extrinsecum.

Non est autem propriè virtus Theologica, sed moralis, eaque specialis, quæ studio sitas, vel obedientia fidei vocari potest.

Et si fidelis eliciat alios actus fidei speculativos, alios practicos, idem tamen realiter in eo est habitus fidei, qui simul est speculativus, & practicus.

Ref. 4. Licet non repugnet habitum fidei manere in Beatis, non tamen videtur conveniens eorum statui, ut ejusmodi habitum essentialiter obscurum retineant.

Probabiliter tamen manet in Beatis habitus predictus voluntatis, quo perseveranter parati sunt subicere intellectum in obsequium fidei, si Deus id exigat.

Neque etiam manet habitus fidei in damnatis, et si character in iis maneat, ad distinguendos baptizatos à non baptizatis.

Illud

Illud autem Jacobi 2. Dæmones credunt, & contemiscunt; intelligitur de fide coacta, quam signorum evidentia in iis parit.

Habitus fidei remanet in animabus justorum, quæ in purgatorio torquentur; sicut habitus charitatis, & spei, quorum actus eliciunt.

Res. 5. Habitus fidei non manet in hæreticis, seu in iis qui alicui fidei articulo scienter dissentiunt.

Fides amittitur per solam infidelitatem, gratia vero justificans per quodlibet peccatum mortale, etiam fides maneat.

Fides potest esse major accidentaliter, idque tam extensive, quam intensive in uno Catholico, quam in alio.

CAP. V. Res. 1. Fides est medium omnibus hominibus ad salutem necessarium; utpote sine qua impossibile est placere Deo.

Fides habitualis est parvulis necessaria, & sufficit ad salutem; at adulti fide habituali, & actuali indigent.

Barbaræ nationes salvari possunt, quatenus et si fidem mereri nequeant, possunt impedire ne ad eam vocentur.

Pro quo nota hæc duo principia. 1. sine fide impossibile est salvari. 2. Deus vult ex se omnes salvos fieri.

Res. 2. Necessarium est credere de Deo, quæ ratione naturali probari possunt, ut omnes homines citius & certius divina cognoscant.

Unde credendum, Deum existere, esse æternum, omnipotentem, rerum omnium creatorem, infinite perfectum, &c.

Etiam Philosophi, qui prædicta attributa naturaliter cognoscunt, eorum fide indigent, ne salus in ipsis à naturali cognitione incipiat.

Res. 3. Necessarium etiam est ad salutem, non nulla de Deo credere, quæ lumen naturale superant.

Unde debemus credere, Deum esse gratiæ & res-

missionis peccatorum, in hoc sæculo, & gloriæ in futuro largitorem.

Fuit etiam olim, & nunc est, necessaria necessitate medii fides in Christum, & in Trinitatem, non quidem explicita, sed implicita.

Fuit quoque omni tempore necessarium credere immortalitatem animæ, præmia & poenas alterius vitæ, & peccatum originale.

Res. 4. Fuit præterea aliquarum rerum fides semper necessaria ex præcepto: nimirum earum quas diximus necessarias necessitate medii.

In lege nova est præceptum credendi explicitè mysteria Trinitatis, & Incarnationis, aliosque fidei articulos in symbolo contentos.

Sunt etiam aliqua explicitè credenda in ordine ad operationem. In primis omnes scire debent præcepta Decalogi, & Ecclesiæ. Deinde orationem dominicam. Tum credere baptismum, pœnitentiam, & Eucharistiam esse sacramenta ad salutem necessaria, Christumque realiter in altari contineri.

Pastores tenentur prædicta non modo credere explicitè, sed etiam explicare, & defendere. At in rudibus non requiritur adeò distincta cognitio ejusmodi mysteriorum.

Sufficit ad salutem, quòd homo credat implicitè, quidquid continetur in scriptura sacra; modo antedicta credat explicitè.

Res. 5. Duplex est obligatio eliciendi actum fidei, quarum prior est directa, & per se; posterior verò indirecta, & per accidens.

Prior obligatio habet locum in infidelibus, quando articuli fidei sunt ipsis sufficienter propositi & explicati.

Et in infantibus baptizatis, quando primùm lumen rationis ipsis illuxit, & de rebus fidei sufficienter sunt instructi.

Probabile etiam est, vigere, directam obligationem elicien-

eliciendi actum fidei, quando quis graviter à Tyranno de fide tentatur.

Posterior obligatio viget, quando teneris elicere aliquem actum supernaturalem, ad quem actus fidei necessarius est.

Res. 6. Externa fidei confessio est necessaria ad salutem, non quidem semper, sed quando ea omiſſa, subtraheretur honor debitus Deo, & utilitas proximis impendenda.

Datur præceptum negativum, non negandi fidem, quod obligat sub peccato mortali, idque pro semper; ita ut fides neque directè, neque indirectè unquam exterius negetur.

Obligat etiam hoc præceptum, ad non ita simulandum negationem fidei, ut adstantes ex verbis, aut factis tuis judicent, te verè fidem abnegare.

Unde etsi uti liceat vestibis infidelium, quæ ob finem politicum nationem distinguunt, non tamen iis quæ ad cultum falsæ Religionis institutæ sunt.

Licet autem, ex gravi causa, comedere carnes veritas, cum infidelibus, adire eorum templa, eorumque concionibus interesse.

CAP. VI. *Res. 1.* Infidelitas positivè accepta, ut repugnat fidei, est peccatum; at infidelitas negativa, seu potius privativa, non est peccatum, sed pœna ex peccato Adæ profluens.

Quod ita intellige, ut illi habeant infidelitatem privativam inculpabilem, qui de fide nihil unquam audierunt; culpabilem verò, qui ea sufficienter audita, assensum cohibuerunt.

Potest dari non modo in infidelibus, sed etiam in fidelibus ignorantia invincibilis quorundam obiectorum supernaturalium fidei.

Imò & naturalium, ut quòd Deus existat, quòd habeat curam rerum humanarum, quòd peccatis nostris offendatur.

Res. 2. Infidelitas & fides sunt in intellectu, ut in
 4 6 proxil

proximo subjecto, in voluntate verò sicut in proximo motivo.

Quod sic accipe, ut infidelitas secundum rationem falsitatis, & malitiæ objectivæ sit subjectivè in intellectu; at secundum rationem malitiæ formalis, sit intrinsecè in voluntate, & extrinsecè in intellectu.

Nunquam contingit infidelitatem sola voluntate committi, sed necessariò tale peccatum consummatur in intellectu, ad nutum voluntati obediens.

Qui judicat non esse credendum, Deum, esse nisi vi demonstrationis, est infidelis, illiusque infidelitas est in intellectu.

Intemperantia sola voluntate committi potest, etsi non infidelitas, ob majorem dependentiam intellectus, quam appetitus sensitivi, ab illa.

Ref. 3. Infidelitas est majus peccatum iis quæ repugnant virtutibus moralibus, non autem iis quæ opponuntur virtutibus Theologicis.

Odium Dei non modo est peccatum gravius infidelitate, sed etiam omnium peccatorum gravissimum.

Desperatio quoad se est peccatum minùs grave odio Dei, & infidelitate; at quoad nos est peccatum periculosius.

Potest reperiri aliquod peccatum contra virtutes morales, gravius aliquo peccato contra fidem; v. c. homicidium, negligentia sciendi res fidei.

Ref. 4. Tres sunt infidelitatis species, nempe Paganismus, Judaismus, & Hæresis: secundum modum tenendi fidei, aut nondum susceptæ, aut susceptæ in figura, vel in veritate.

Ut quis dicatur hæreticus, non opus est ut aliquando veram fidem habuerit, sed sufficit quòd fidem Christianam exterius profiteatur, & quosdam illius articulos neget.

Omnis

Omnis infidelis vel credit in Christum, & est hæreticus; vel non credit, estque Judæus, si admittit figuras; & paganus, si non admittit. Unde constat divisionem prædictam infidelitatis esse adæquatam.

Ejusmodi infidelitates non distinguuntur specie, propriè loquendo, sed tantum accidentariò, quatenus repugnant fidei secundum magis, & minus.

Si infidelitas spectetur per respectum ad fidem, gravius peccant Hæretici, quàm Judæi, & hi quàm Gentiles, si verò attendatur corruptio eorum, quæ ad fidem spectant, res se habet ordine inverso.

Apostasia à fide non est quarta species infidelitatis, à præcedentibus distincta, sed circumstantia aggravans, quæ semper cum aliqua earum coincidit.

Communitè tamen dicuntur Apostatæ, qui fidem Catholicam abjiciunt, ut Paganismum, vel Judaismum sectentur.

Ref. 5. Ad hæresim non sufficit error positivus contra doctrinam fidei, sed præterea requiritur pertinacia.

Hæc pertinacia habet locum in eo, qui non vult dimoveri à sua sententia, etsi scias oppositam doceri ab Ecclesia Catholica.

Ille non est formaliter hæreticus, qui defendit suum errorem, ignorans sive invincibiliter, sive vincibiliter eum repugnare fidei Catholicæ.

Pauci sunt adulti inter hæreticos, qui ignorent se habere fidem alienam ab Ecclesia, quam scire tenentur veram esse: adeoque qui non sunt hæretici.

Ad hæresim non requiritur assensus positivus, quo quis judicet falsum esse, quod Ecclesia credit ut verum, sed sufficit dubium voluntarium de veritate illius.

Ref. 6. Licet cum hæreticis disputare, ad confutan-

dos errores, vel exercitii causa. Peccat tamen Catholicus, qui disputat tanquam de fide dubitans.

Licitum est de fide disputare coram simplicibus, qui ab hæreticis sollicitantur ad defectionem; non tamen coram iis, qui nihil audierunt diversum ab eo quod credunt.

Peccat publicè disputans cum hæreticis, nisi talis sit, ut veritatem solidè defendere, & simplicioribus qui adsunt, satis apertè declarare valeat.

Prohibitum est laicis sub pœna excommunicationis ferendæ, ne cum hæreticis disputent, nisi necessitas, aut gravis utilitas id postulet.

Non licet, cum periculo, hæreticorum libros legere. Et qui legunt, incurrunt excommunicationem summæ Pontifici reservatam, in locis ubi bulla Cœnæ recepta est.

Possunt Episcopi in Gallia, dare facultatem suis subditis, legendi libros hæreticorum. Imò & hæreticos revertentes in utroque foro absolvere.

DE SPE.

CAP. VII. **S**pes est virtus, utpote bonum faciens hærentem, & opus ejus bonum reddens.

Est virtus Theologica, attingens supremam regulam humanorum actuum, nempe Deum, cujus auxilio nititur, ad consequendam beatitudinem.

Unde distinguitur à charitate, quæ facit hominem adhærere Deo, propter seipsum; & à fide, quæ Deum respicit, ut est in nobis principium cognoscendi veritatem.

Fides est prior spe, & spes charitate, secundum viam generationis; at charitas ut forma virtutum, est prior spe.

Res. 2. Proprium & principale objectum spei Theologicæ, est ipsa beatitudo æterna; at objecta secundaria sunt auxilia gratiæ, aliaque media conducentia ad vitam æternam.

Hoc

Hoc ita intellige, ut Deus ipse sit materiale obiectum spei, quod scilicet tanquam summum bonum nostrum speramus.

Inordinatum est amare Deum propter se, tanquam propter finem cuius gratia, non tamen, tanquam propter finem cui, seu quia est summum bonum ipsius amanti.

Ipsa etiam beatitudo formalis est obiectum materiale spei: quatenus non speramus Deum secundum se, sed ut à nobis per visionem possidendum.

Res. 3. Obiectum formale spei Theologicae est bonitas ipsius obiecti materialis, seu Dei clarè visi, non in se spectata, sed ut est nobis conveniens.

Unde interroganti, quid nos moveat ad sperandam beatitudinem, respondemus eam nos sperare, quia nobis est bona, non autem quia est nobis possibilis per gratiam.

Beatitudinis possibilitas non est motivum eam sperandi, sed tantum conditio sine qua, non potest quis efficaciter ferri in tale obiectum.

Ut alicui speremus beatitudinem, oportet nos ita ei conjungi per amorem, ut bonum illius apprehendamus tanquam nostrum.

Non licet sperare de creatura aliqua, tanquam de prima causa movente in beatitudinem, sed tanquam secundariò ad eam juvante.

Res. 4. Proximum subjectum spei est voluntas sicut actus illius est motus appetitus rationalis in bonum.

In viatoribus charitas non est sine spe, hæc tamen esse potest sine charitate, quamvis non sine fide.

Probabile est in beatis esse spei habitum, quo gaudent de præsentis animæ beatitudine, & futuram corporis gloriam sperant.

Spes non est in damnatis, ad quorum miseram conditionem

ditionem

ditionem spectat, ut sciant eorum poenas fore perpetuas. Est tamen in animabus quæ torquentur in purgatorio.

Res. 5. Desperatio est peccatum de se mortale, quod non consistit in positiva nolitione beatitudinis, nec in iudicio aliquo intellectus quodcunque sit.

Ad illam tamen prærequiritur iudicium intellectus, quo quis iudicat, se non posse salvari, aut de facto non solvandum, aliudve simile.

Et consistit in actu voluntatis inde orto, quo quis statuit abjicere omnem sollicitudinem acquirendæ salutis, & media ad eam necessaria omnino negligere.

Potest esse desperatio cum infidelitate, & sine illa. Est cum infidelitate, si quis iudicet se non posse salvari sine illa, si iudicet tantum se non salvandum.

Desperatio interdum oritur ex luxuria, interdum ex acedia, qua ita dejicitur animus, ut nunquam putet se posse bonum arduum adipisci.

Res. 6. Præsumptio duobus modis committi potest. 1. sperando salutem, ut naturæ viribus possibili. 2. sperando veniam peccatorum, ut possibilem sine poenitentia; aut gloriam, sine meritis.

Utraque præsumptio conjuncta est cum hæresi, & prior dicitur Pelagiana posterior Lutherana.

Præsumptio est propriè species peccati in Spiritum sanctum; est tamen peccatum desperatione levius.

Hic agitur de præsumptione, ut opponitur spei Theologicæ, præterquam est alia opposita magnanimitati.

Præsumptio quæ innititur propriæ virtuti, oritur ex inani gloria, quæ verò inordinate innititur divinæ virtuti, oritur ex superbia.

Res. 7. Datur præceptum affirmativum spei, quod obligat, tum quando primum occurrit præceptum fidei,

fidei, tum quories aliquis tentatur, ut de misericordia Dei desperet, tum in fine vitæ.

Aliàs præceptum spei obligat per accidens, ut quando tenemur Deum orare, vel de peccatis dolere, &c. |

Est etiam præceptum spei negativum, quod obligat ut nunquam desperes de consequutione beatitudinis, & nunquam præsumas te eam indebitè obtenturum.

DE CHARITATE.

CAP. VIII. **C**haritas est amicitia inter Deum & *Ref. 1.* hominem, fundata in eo quòd Deus suam beatitudinem homini communicat.

Licet non convivamus Deo, ratione vitæ corporalis, illi tamen convivimus ratione vitæ spiritualis.

Charitas non est Spiritus S. sed donum creatum diffusum in cordibus nostris, per Spiritum S.

Ref. 2. Charitas est virtus, summam humanorum actuum regulam, nempe Deum attingens.

Dare facilitatem agendi, spectat ad virtutes acquisite non autem ad infusas, quæ solam agendi potentiam tribuunt.

Charitas est specialis virtus, specialem boni rationem in objecto suo attingens: esto interdum dicatur, omnis virtus, seque extendat ad opera omnia virtutum.

Charitas est una specie virtus, respiciens unum finem, nempe divinam bonitatem, & unam communicationem beatitudinis æternæ.

Quando S. Thomas ait, charitatem fundari in cōmunicatione beatitudinis, sensus est, Deum per charitatem diligi, secundum totam suam bonitatem, quæ attingitur à beatis.

Ref. 3. Charitas est virtutum five moralium, five Theologicarum præstantissima, attingens Deum ut in ipso sistat, non ut ex eo nobis aliquid proveniat.

eorum

Eorum quæ sunt infra nos, nobilior est cognitio, quàm dilectio; eorum verò quæ sunt supra nos nobilior est dilectio, quàm cognitio.

Ex eo quòd virtutes intellectuales sint ex se perfectiores moralibus, sequitur tantum præstantissimam inter illas esse perfectiorem nobilissima istarum.

Nulla est vera virtus simpliciter sine charitate, cuius proprium est hominem ordinare ad ultimum finem, qui in fruitione Dei consistit.

Potest tamen esse vera aliqua virtus secundum quid, seu habens essentiam, etsi non statum virtutis, sine charitate.

Charitas dicitur forma virtutum, quatenus per illam eorum actus ad ultimum finem ordinantur, & sunt meritorii vitæ aeternæ.

Charitas dicitur radix, fundamentum, & mater aliarum virtutum.

Res. 4. Charitas nequit esse perfecta ex parte diligibilis, quatenus Deus non potest ab ulla creatura amari, quantum est diligibilis.

Potest tamen esse perfecta, ex parte diligentis, ita ut habens charitatem, Deum diligat quantum potest: quod aliter contingit in alia, aliter in hac vita.

In charitate distinguuntur, tres gradus, nempe incipientium, proficientium, & perfectorum, juxta diversa studia ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum.

Quod tamen non impedit quominus & incipientes, & perfecti proficiant, quamvis eorum studium præcipuè in hoc non versetur.

Charitas vitæ est ejusdem speciei cum charitate patriæ, esto cognitiones specie distinguantur, & amor vitæ sit liber, amor patriæ necessarius.

Non repugnat, quòd charitas sit minùs intensa, tam quoad habitum, quàm quoad actum, in aliquo beato, quam in aliquo viatore.

Abso-

Absolutè tamen dicendum est, charitatem patriæ esse perfectiorem charitate vitæ, ratione status longè diversi quem habet.

CAP. IX. *Ref. 1.* Charitatis objectum primum est Deus, secundarium verò multa quæ propter Deum diligenda sunt.

Ad hoc secundarium objectum reducuntur primum, creaturæ omnes capaces beatitudinis; secundò ea omnia quæ ad nostram, aut proximorum beatitudinem aliquo modo conducunt.

Unde homo ex charitate amat seipsum, non tamen ex vera amicitia, quæ unionem quandam, non unitatem importat.

Amat & peccatorem, non ut peccatorem, sed ut hominem: nec debet amicis peccantibus subtrahere amicitia beneficia, nisi sint insanabiles.

Amat etiam inimicum, quamvis non ut inimicum, eique exhibet communia dilectionis signa, licet specialia non nisi in necessitate ei exhibere teneatur.

Non tamen illius charitas debet se extendere ad dæmones, sive qua dæmones sive qua Spiritus supernaturalis beatitudinis incapaces.

Verùm si agatur de objectis secundariis posterioris generis, homo diligit charitatem, creaturas irracionales, corpora nostra ipsosque dæmones quoad naturam spectatos, prout hæc omnia ad gloriam Dei conducunt.

Ref. 2. Est aliquis ordo in charitate, non quidem durationis, sed perfectionis, ita ut unum objectum perfectius diligatur quàm aliud.

Potest tribus modis unum à nobis perfectius diligere quam aliud. 1. objectivè. 2. appetitivè. 3. intensivè.

Secundum prædictum charitatis ordinem, debemus Deum, tanquam primam causam beatitudinis, magis quàm proximum, aut nos diligere.

In communicatione bonorum naturalium fundatur amor naturalis, quo creaturæ omnes Deum suo modo diligunt.

Ref. 3. Non tenemur Deum magis intensivè diligere quàm nos, aut proximos, sed sufficit quòd eum magis objectivè & appetitivè diligamus.

Amorem esse posse majorem appetitivè, etsi non sit major intensivè, ostenditur exemplo matris filium natu majorem magis appetitivè, & minorem magis intensivè diligentis.

Quamvis possit proximus intensius diligi quàm Deus, repugnat tamen quòd talis proximi dilectio sit ex vera charitate.

Ref. 4. Tenetur homo ex charitate, magis se diligere quàm proximum quem tantum ut beatitudinis socium respicit.

Non debet homo peccare, ut proximum liberet à peccato; teneturque sibi potius velle gratiam & gloriam, quàm omnibus aliis hominibus.

Si tamen necessitas spiritualis proximi exigeret, posset quis licitè, exemplo B. Martini aliquantulam beatitudinis dilationem optare.

In extrema proximi necessitate spirituali tenemur non modo bona temporalia, sed etiam vitam, si opus sit exponere, ut illi opitulemur.

At in gravi necessitate, non teneris succurrere proximo, cum probabili vitæ periculo, aut etiam cum notabili famæ, vel bonorum temporalium jactura.

Si tamen Respublica in tali necessitate versetur, ut quia hæreses, aut periculosa dogmata sparguntur in vulgus, teneris etiam cum vitæ periculo ei, si possis, succurrere.

Non teneris vitam propriam pro vita alterius privati exponere; potes tamen, ex motivo amicitia, gratitudinis, vel alterius virtutis.

Ref. 5. Teneris ex charitate unum proximum magis diligere, quàm alium; & Patres æqualitatem

com-

commendantes, volunt tantum omnes esse diligendos.

In necessitate extrema teneris potius ei opitulari, qui tibi sanguine junctus est, quam extraneo, licet sanctiori.

Qui tibi naturaliter juncti sunt, præferendi sunt iis cum quibus conjunctionem tantum spiritua-lem habes, idque in necessitate temporali, & spiri-
tuali.

Debes ut plurimum, non modo parentes, sed etiam alios consanguineos, saltem in primo gradu, præferre amicis, & benefactoribus.

Inter consanguineos primò debet præferri omni-
bus pater, secundò mater, tertio uxor, quartò filii, quintò fratres & sorores, ac tandem alii juxta cujus-
que gradum.

CAP. X. *Ref. 1.* Gaudium de bono divino est actus internus charitatis, non quidem primarius, sed se-
cundarius.

Gaudium de bono divino in se, non potest adjun-
ctam habere tristitiam, potest tamen ut participatur à nobis.

Non potest esse in nobis plenitudo gaudii, ex parte rei de qua gaudemus.

Neque in hoc statu potest gaudium de Deo esse plenum, quantum esse potest ex parte nostra: at in beatis est plenum, & super plenum.

Ref. 2. Pax etiam est actus charitatis, per quam fit ut omnes nostri appetitus ferantur in Deum, & cum proximi appetitu concordent.

Paci opponitur dissensio hominis ad seipsum, & ad alium; concordia verò hæc sola duntaxat.

Omnia pacem appetunt, sicut & aliquod bonum, & remotionem eorum, quæ illius assequutionem impe-
dite possunt.

Duplex est pax, alia vera, alia falsa: & illa adhuc duplex, perfecta quæ in alia vita habetur, imperfecta, quæ in ista.

Dissen-

Dissensio in opinionibus non repugnat charitati, aut paci imperfectæ istius vitæ, sed perfectæ alterius, ubi veritas plenè cognoscetur.

Pax procedit à virtute charitatis, cui proinde opponitur dissensio, ratione pacis; sicut odium ratione dilectionis; & acedia, seu invidia ratione gaudii.

Misericordia non est propriè actus charitatis, sed alterius virtutis qua homo doler de malo proximi, ut est quædam miseria, quæ illius opera sublevari potest.

Beneficentia interdum sumitur pro externa executione actus interni elicitæ à charitate: at generatim, ut significat collationem beneficii, ad varias virtutes spectare potest.

Ref. 3. Septem sunt opera misericordiæ, seu eleëmofynæ corporalis, hoc versu comprehensa,

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Datur grave præceptum subveniendi per eleëmofynam proximo, in extrema necessitate constituto.

Quod præceptum viget, quando probabiliter non constat aliquem ei mox subventurum, etsi multi sint qui possint illi opitulari.

Etsi tunc non tenearis facere eleëmofynam, ex bonis tuo statui omnino necessariis, teneris tamen ex bonis, sine quibus decenter & commodè vivere nequis.

Imò probabilius est, teneri ex superfluis statui succurrere proximo, in gravi, quamvis non extrema necessitate constituto.

Non satisfacis præcepto eleëmofynæ, mutuando pecuniam extremè indigenti, seu qui non habet aliquid sive in re, sive in spe.

Ref. 4. Præceptum dandi eleëmofynam magis obligat Ecclesiasticos, quàm Laicos.

Tenentur Ecclesiastici in eleëmofynas, aliavè pia opera expendere, quidquid ex redditibus beneficii,

beneficii, congruæ eorum sustentationi superfluum est.

In congrua eorum sustentatione potest reperiri infimum, medium, & summum, quod excedi nequit.

Unde quod superest in eleëmofynas erogari debet; si quid verò parcius vivendo, ex summa permiffa seponitur, instar bonorum patrimonialium expendi potest.

Congrua portio assignari potest beneficiario, tum juxta qualitatem beneficii, tum juxta qualitatem personæ.

Clerici habent verum dominium eorum fructuū, quos ex beneficiis percipiunt.

Peccant graviter, partem quæ eroganda erat pauperibus, in præfanos usus expendendo; non tamen tenentur ad restitutionem.

Unde peccant graviter ex iis fructibus testando, testamentum tamen valet.

At regulares beneficiarii, etsi sint Episcopi, non acquirunt dominium fructuum, qui eorum beneficiis annexi sunt.

Res. 5. Non possunt famuli dare eleëmofynam ex bonis dominorum, nisi accedente saltem tacito eorum consensu.

Non possunt prodigi, minores, aut pupilli de suis bonis disponere, absque curatorum, vel tutorum consensu.

Filius familias potest facere eleëmofynas ex bonis suis castrensibus, aut quasi castrensibus.

Item ex iis quæ ad congruam sustentationem, vel ad recreationem ei dari solent.

Potest uxor dare eleëmofynas, non modo ex bonis paraphernalibus, si quæ habet, sed etiam ex bonis communibus, juxta proprium statum.

Si maritus in amentiam incidat, absoluta domus administratio devolvitur ad uxorem, secus si tantum à domo absit.

Superio-

Superiores Regularium non possunt facere eleëmofynas, ex bonis monasterii, nisi juxta regulam, & constitutiones.

At inferiores non possunt de aliqua re, etiam ad victum concessa, disponere sine consensu superioris, nisi quando peregrinantur.

Potest aliquis facere eleëmofinam ex bonis propriis, quæ honestè acquisivit, & quorum habet administrationem.

In necessitate extrema potest subveniri pauperi ex bonis alterius, si aliter illius indigentia levare nequit.

Potest foemina facere eleëmofynam, ex bonis per meretricium acquisitis.

Res. 6. Correctio fraterna est unum ex septem operibus misericordiae spiritualis, hoc versu contentis

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Obligat quando putas eam necessariam, & utilem ad proximum, sine gravi tuo damno avertendum à peccato.

Ad eam tenentur inferiores & superiores; sed illi ex charitate, aut misericordia, isti etiam ex justitia, ratione officii.

Privati non tenentur aliorum vitae invigilare, at superiores tenentur in inferiorum mores inquirere; qui tamen cavere debent, ne nimium sint suspiciosi, aut delationibus facilè aures præbeant.

Non tenentur privati, nisi sub veniali, corripere peccata ex se venialia; at superiores interdum tenentur sub mortali.

Privati non tenentur alios corripere, quando nullus speratur fructus ex correptione: at superiores etiam tunc ad id tenentur.

Nec tenentur privati, cum gravi suo damno corripere proximum, in gravi tantùm necessitate spirituali constitutum; superiores verò tenentur, etiam cum vitae periculo.

Pec-

Peccantes ex ignorantia vincibili debent corripi, item peccantes ex ignorantia invincibili, si fructus ex ea correptione speratur.

Superiores ab inferioribus cum modestia corrigantur, & privatim, nisi ob periculum fidei, opus sit eos publicè arguere.

Ref. 7. Ordo correctionis fraternæ est sub præcepto, ita ut non liceat occultum alicujus peccatum deferre ad superiorem, quin secreta admonitio præcesserit, primò sine testibus, secundò, si opus sit, cum testibus.

In peccatis quæ vergunt in grave aliorum detrimentum, non opus est prædictum ordinem servare, sed statim ad denunciationem procedi potest.

Si prælatus præcipiat subditis, ut peccata quæ fortè corrigenda norunt, ipsi revelent, hoc præceptum debet intelligi, salvo ordine fraternæ correctionis.

Post admonitionem sæpius factam, adhuc per eam procedendum est quandiu spes probabiliter habetur de correptione.

Est autem totaliter à correptione cessandum, quando probabile est, correptum inde deteriorem reddendum.

CAP. XI. *Ref. 1.* Charitati secundùm se duo vitia opponuntur, nempe odium Dei, & proximi.

Deus secundùm se spectatus, non potest odio haberi, sed tantùm quatenus infligit pœnam, & prohibet peccata.

Oidium Dei est maximè peccatum in Spiritum S. non ut specialis species, sed tanquam quid inclusum in omni specie peccati in Spiritum sanctum.

Oidium proximi est peccatum, si in eo natura, aut gratia odio habeatur: at non ad odium, sed potius ad amorem pertinet, fratrem odisse ut peccatorem.

Nunquam licet proximum odisse, odio inimicitia, interdum tamen licet aliquem odisse, odio abominationis, nempe peccatorem, ut sic.

Et si non liceat velle, malum proximo, ut illi malum est, licet tamen ex aliquo bono fine.

Imò multi putant licere, ob emolumentum aliquod temporale, optare mortem alicujus. Verum hoc in praxi periculosum videtur.

Inter peccata contra proximum, odium est majus, si spectetur deordinatio peccantis, at si spectetur nocumentum, homicidium, adulterium, aliaque externa peccata sunt pejora odio.

Odium non est vitium capitale, ex quo scilicet alia vitia progerminant. Ipsum autem oritur ex invidia, sicut ex delectatione causatur amor.

Res. 2. Gaudio charitatis, ut est de bono divino, opponitur a cedia: ut autem est de bono proximi, invidia.

Acedia est secundum se mala, ut est tristitia de bono divino; & secundum effectum, quatenus ita hominem aggravat, ut eum retrahat à bono opere.

In luxuria, impugnatio peccati est vincenda fugiendo, in acedia verò, resistendo.

Acedia, ut dicit tristitiam de bono divino, est speciale vitium, charitati repugnans: at tristitia de bono spirituali singularum virtutum, ad vitia opposita pertinet.

Acedia, ut inchoatur in sensualitate, est tantum peccatum veniale, ut autem in ratione perficitur, est peccatum mortale.

Acedia est recessus mentalis à bono divino, cui oportet mentem inharere ex necessitate.

Meritò ponitur inter vitia capitalia, ejusque sex filia numerantur.

Invidia est tristitia de bono proximi, quatenus apprehenditur ut diminutivum propriae gloriae & excellentiae.

Unde ad illos tantum habetur invidia, quibus homo vult se aequare, vel præferre in gloria.

Tristitia de bono alterius, in quantum sibi ex hoc imminet periculum alicujus nocumenti, est potius timoris effectus, quam invidiae, Quan-

Quando aliquis tristatur, non quod alter bona spiritualia habeat, sed quia ipse caret, zelus est laudabilis.

Tristari de bono alterius, quia eo indignus est, hoc vocatur Nemesis, seu indignatio.

Invidia est peccatum capitale varias habens filias, & mortale ex genere suo, sunt tamen quidam illius motus veniales in sensualitate.

Ref. 3. Paci opponuntur discordia, quæ est in corde; & contentio, quæ est in ore.

Discordare per se & scienter à bono divino, & à bono proximi, in quo quis debet consentire, est ex se peccatum mortale: at non discordare per accidens, & præter intentionem.

Verùm prior discordia potest interdum esse duntaxat venialis, & posterior mortalis.

Tripliciter possumus discordare cum aliquo. 1. quoad mala 2. quoad consilia. 3. quoad præcepta.

Discordia est filia superbiæ, vel inanis gloriæ, potest tamen ex parte causari etiam ab invidia.

Distinguitur à rixa, quæ consistit in exteriori opere, & causatur ab ira, animum movente, ad nocendum proximo.

Impugnatio veritatis est triplex materialis, formalis, & virtualis; prima non est ex se mala, secunda tamen & tertia sunt ex se peccatum mortale.

Impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ est laudabilis, cum inordinato modo, est peccatum veniale, & interdum mortale.

Contentio, sicut & discordia est filia inanis gloriæ, cuius proprium est propriam excellentiam querere.

Ref. 4. Inter vitia pertinentia ad opus paci opposita, schisma numeratur, quod est speciale peccatum, intendens se ab unitate Ecclesiæ separare.

Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subditis, communicare renuunt.

Schisma & hæresis sunt diversa vitia, quicumque tamen est hæreticus, est etiam schismaticus; at potest quis esse schismaticus, etsi non sit hæreticus.

Infidelitas ex se est gravius peccatum schismate, potest tamen contingere, ut quidam schismaticus gravius peccet, quàm quidam infidelis.

Potestas ordinis manet in schismaticis, & hæreticis, qui proinde possunt ea uti validè, sed non licitè; at potestas jurisdictionis in iis non manet.

Congruum est ut schismatici per potestatem spiritualem coërceantur, & excommunicentur.

Res. 5. Bellum etiam numerari solet inter vitia externa operis, paci opposita.

Ut bellum sit justum tria requiruntur. 1. auctoritas Principis bellum indicentis. 2. causa justa. 3. intentio recta bellantium.

Bellum duplex est defensivum, & offensivum, & utrumque justè suscipi potest.

Prima ex dictis conditionibus intelligitur de bello offensivo, secunda verò non habet locum, quando condigna satisfactio offertur.

Non potest bellum moveri, quando causa dubia est, & agitur de re ab alio possessa.

Bellum per se loquendo, & seclusa ignorantia, ex utraque parte justum esse nequit.

Milites subditi tenentur militare, quando aperte non constat de injustitia belli, imò & extranei in eo casu militare possunt.

Possunt clerici, etiam sacerdotes, & Episcopi in necessitate bellare; maximè si imperium Principis, cui subditi sunt, accedat.

Fides hosti data, servanda est, nisi coactus dederis, vel promissio in grave damnum commune vergat, aut ille primus fidem violaverit.

In necessitate licitum est bellare in die festo, non extra illam.

Res. 6. Opponitur etiam paci rixa, quæ importat
quan-

quandam contradictionem in factis, est quæ veluti quoddam privatum bellum.

Non est licitum duellum, si ineatur ad vanam ostentationem dexteritatis, vel ad oblectationem spectantium.

Non etiam licitum est duellum ad purgationem criminis, nec ad vindicandam propriam injuriam.

Nec potest licitè duellum ab aliquo acceptari, ne in honore apud mundanos laudatur.

Quisque tamen dicere potest, se paratum esse iusta defensione sibi consulere, si aliquis eum invaserit.

Multò magis illicitum est acceptare duellum, propter defensionem rerum externarum.

Potest tamen duellum justè iniri inter aliquos, auctoritate Principis, ne pugna cum gravi periculo, inter integros exercitus ineatur.

Rixa intendit alium laedere eo sciente & repugnante, quod magis ex ira, quam ex odio oritur.

Opponitur etiam paci seditio, quæ est speciale peccatum, speciali bono, nempe unitati & paci multitudinis, oppositum.

Seditio est ex genere suo peccatum mortale, eoque gravius, quò bonum commune est præstantius privato.

CAP. XII. *Res. 1.* Scandalum est dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ.

Duplex est scandalum, activum, & passivum: activum est quando dictum, vel factum est alteri per se causa peccandi, passivum, quando per accidens.

Interdum est scandalum activum, cum passivo: interdum activum, sine passivo: aliquando passivum, sine activo.

Res. 2. Non modo scandalum activum est peccatum, sed etiam passivum.

Scandalum passivum non est speciale peccatum, activum verò directum & per se, est speciale peccatum scandali, distinctum ab aliis omnibus peccatis.

Unde directè alicui suadens adulterium, non tantùm est reus adulterii, sed etiam scandali in confessione declarandi.

At scandalum activum, quod tantùm indirectè & per accidens est alteri causa ruinæ, non est peccatum speciale, sed vt summum circumstantia aggravans.

Ref. 3. Scandalum passivum interdum est peccatum tantùm veniale, interdum mortale, Idem dic de activo, sive sit per accidens, sive per se.

Etsi nonnulli dicant, peccatum esse mortale, aliquem directè impellere ad veniale, probabilius tamen est non esse nisi veniale.

Quod verum est, etsi quis per peccatum mortale directè alium impellat ad veniale.

Scandalum est mortale, quando probabile est alios ex peccato sive mortali, sive veniali ad mortale inducendos.

Ref. 4. Bona spiritualia ad salutem necessaria non sunt dimittenda, propter aliorum scandalum, non necessaria, prætermitti non debent ob scandalum Phariseorum, sed propter scandalum pusillorum differenda sunt, aut occultanda.

Ad vitandum scandalum, nunquam cessat obligatio servandi præcepta negativa: imò non licet propterea cessare ab observatione præcepti affirmativi.

Unde non debet foemina abstinere die festo ab auditione sacri, etsi sciat illius occasione aliquem peccaturum.

Peccatum veniale committendum non est ad vitandum aliorum scandalum, ac proinde nec ut quis caveat mortale.

Nemo potest ad vitandum scandalum, dare bona aliena, quorum habet dispensationem interdum tamen eorum repetitionem differre debet.

Nemo tenetur per se loquendo, ad vitandum scandalum, etiam pusillorum: gravem in propriis bonis temporalibus iacturam facere.

Ref. 5.

Res. 5. Peccatum est vendere res indifferentes, quibus homines communiter malè uti solent, qualia sunt venenum, falsa clavis, &c. nisi moraliter constet, eumentem non malè usurum.

Non est peccatum vendere res indifferentes quibus homines benè uti solent, qualia sunt arma: nisi constet, eumentem malè usurum.

Peccant caupones tempore prohibito carnes hospitibus indiscriminatim præparantes. Quod verum est, etsi eorum defectu, alii essent porrecturi.

Non peccant famuli ministrando dominis in rebus ex se indifferentibus, quæ non nisi remotè malo usui serviunt.

Imò possunt ex gravi causa, iis ministrare in rebus majorem connexionem cum peccato habentibus: non autem in iis quæ sunt intrinsecè malæ.

A peccato excusantur locantes domos meretricibus, si absit scandalum.

Volenti grave malum committere, non licet ex probabili sententia, suadere ut committat levius.

Non tamen est illicitum, volenti committere majus malum, proponere minus. Verùm hoc quoad proximum satis periculosum videtur.

LIBER IV.

DE RELIGIONE.

CAP. I. **R**eligio hic sumitur pro virtute, qua inclinamur ad cultum & honorem Deo exhibendum.

Res. 1. Non est virtus Theologica, sed moralis, quæ ut objectum quod respicit cultum divinum, Deum verò ut objectum cui.

Medium in ea accipitur non secundum passiones, sed secundum æqualitatem, inter operationes quæ sunt ad Deum.

Est præstantior aliis virtutibus moralibus, magisque ad virtutes Theologicas accedit.

Ref. 2. Est una virtus specie, honorem Deo exhibens secundum unam rationem, nempe ut est primum principium creationis, & gubernationis rerum.

Quod ita intellige, ut Religio immediatè cultum divinum respiciat, excellentiam verò Dei, nonnisi mediante cultu ei exhibito.

Ref. 3. Religio distinguitur tum à virtutibus Theologicis, tum à tribus virtutibus moralibus, videlicet prudentia fortitudine, & temperantia

Distinguitur etiam à virtute justitiæ strictè sumptæ, ut habet locum inter homines.

Item distinguitur à Dulia, qua sancti honorantur, esto eadem virtute charitatis Deum, & proximum diligamus.

Non videtur distingui à virtute pœnitentiæ, cujus proprium est jus divinum defendere, & illa sum servare.

At nec nisi ratione distinguitur à sanctitate, ad quam spectat generatim omnia virtutum opera in Deum referre.

CAP. II. *Ref. 1.* Devotio, quæ aliud nihil est quàm, voluntas promptè tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum, est actus Religionis.

Charitas devotionem causat, & vicissim per devotionem charitas nutritur.

Devotio generatur in homine ex duplici consideratione, nimirum divinæ bonitatis, & proprii defectus.

Devotio per se spiritualem lætitiâ mentis causat, per accidens verò, tristitiâ.

Ref. 2. Oratio est actus Religionis, quatenus per eam homo se Deo subjicit, & profiteretur se illius auxilio indigere.

Oratio porrigitur Deo, quasi per ipsum implenda, & sanctis quasi per ipsos impetranda.

Non

Non debemus à Deo petere temporalia, nisi ut sunt quædam adminicula ad beatitudinem.

Tenemur inimicos non excludere à communibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus.

Triplex attentio adhiberi potest orationi, nempe ad verba, ad sensum, & ad finem orationis, quæ postrema est maximè necessaria.

Oratio semper, exauditur, positis quatuor conditionibus, quando scilicet aliquis pro se petit, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter.

Oratio peccatoris ut sic, interdum exauditur ad vindictam, at quæ procedit ex bono naturæ desiderio, exauditur ex pura misericordia.

Quatuor sunt orationis partes, nempe orationes, postulationes, obsecrationes, & gratiarum actiones.

Res. 3. Ordinati, professi, & beneficiati tenentur quotidie recitare horas canonicas.

Ad hoc tenentur habentes beneficium simplex, aut curatum, præstimonias, capellanias collativas, commendas. Non tamen extenditur obligatio ad coadjutorias, nec ad pensiones.

Verùm qui habent pensionem titulo clericali tenentur quotidie recitare officium 1. Virginis, in locis ubi Bulla Pii V. hæc de re edita, recepta est.

Ex communi sententia Beneficiarius tenetur ad recitationem horarum, etsi beneficii proventus valor sit exiguus.

Item tenetur qui sua culpa nullum fructum percipit: & qui jam non recipit, sed aliàs est recepturus: non tamen qui injustè omnibus fructibus, eorumque spe privatur.

Imò qui ob sterilitatem nullum fructum uno anno ex beneficio percipit, non tenetur pro eo tempore ad solitum horarum pensum.

Ille per quem stat ne beneficium possideat, tenetur ad horarum recitationem: non autem qui ab extincto impeditur, ne possessionem capiat.

At ille qui possidet, & administrat beneficium litigiosum, tenetur, quando moraliter certum est fructus ei pro rata adjudicandos.

Tenentur fructus restituere, qui post sex menses à beneficio obtento, officium non recitant, nisi legitime excusentur.

Quæ restitutio fieri debet pro rata horarum omiffarum & in utilitatem ipsius beneficii, vel pauperum.

Ref. 4. Officium divinum integrè recitari debet, ita ut peccatum sit mortale, unam ex septem horis, aut illius medietatem scienter prætermittere.

Habere voluntatem non recitandi officium aliqua die, non est ex se, nisi unum peccatum mortale.

Qui detinentur aliqua brevi occupatione ad officium necessaria, censentur integrè recitare.

Interruptio non obstat integritati officii, etsi fiat ad longum tempus, & sine legitima causa.

Verum sine causa officium notabiliter interrompere, videtur quædam irreverentia venialis.

Peccatum est verba voluntariè omittere, aut truncare: non tamen teneris ita recitare, ut actu te ipsum audias.

Quando recitas cum socio, sufficit quod alternatim psalmorum versus recites, modo reliqua audias.

Non tamen satisfacis, si dum tu unum versum recitas, socius alium, etiam te advertente, recitet.

Qui ex inadvertentia officium immutavit, non tenetur proprium diei officium recitare.

Ref. 5. Ut satisfiat præcepto recitandi horas, multi dicunt sufficere attentionem externam: at communior, & tutior sententia requirit etiam internam.

Sufficit autem attentio vel ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum, vel ad aliquod fidei mysterium, eaque vel actualis, vel virtualis.

Qui in fine psalmi, vel officii bona fide inchoanti, adver-

advertit se omnino distractum fuisse, non tenetur quicquam repetere.

Res. 6. Tria sunt capita causarum à recitatione officii excusantium, quorum primum est impotentia. Unde excusantur qui ob aegritudinem non possunt sine gravi incommodo recitare.

Qui potest recitare majorem officii partem, ad eam tenetur, si non nisi minorem, ad nihil tenetur.

In dubio standum est iudicio Medici; quòd si ille dubius manet, infirmus à recitatione excusatur.

Defectum Medici potest aegrotus stare iudicio superioris, iisque deficientibus, dictamini propriae conscientiae.

Qui non potest officium solus persolvere, tenetur illud recitare cum socio, si eo modo sufficienter iuvari potest.

Debet beneficiarius socium tunc adhibere, et si non possit habere illius copiam, nisi oblato moderato stipendio.

Idem probabilius dicendum videtur, de clerico non habente beneficium; quamvis nonnulli eum excusent.

Secundum caput continet gravem, & repentinam occupationem occurrentem, quae non potest sine magno incommodo praetermitti. Unde Concionatores, Confessarii, Lectores, &c. interdum à recitatione excusantur.

Qui mane praevidet se, reliquo die impediendum, quo minus officium possit recitare, tenetur recitationem anticipare.

Tertium caput continet dispensationem, quae à summo Pontifice dari potest, non autem ab Episcopo, qui tamen in dubio potest legem Ecclesiasticam interpretari.

Res. 4. Beneficarii choro non assistentes, privantur distributionibus, etiam ante quamcumque iudicis sententiam.

Quod intellige, etiam de iis qui primis sex mensibus à possessione beneficii choro non intersunt, esto fructibus non priventur.

Distributiones ordinariae & propriè dictae, iis accrescunt qui choro verè, & non tantùm, fictione juris assistunt, quando alii absunt.

Extraordinariae verò & impropriae, ad arbitrium Ordinarii fabricae Ecclesiae, vel alteri pio operi applicari possunt.

Qui officio intersunt non possunt, prohibente Concilio Trid. licitè aut validè praedictas distributiones absentibus remittere.

Ref. 8. Beneficiarius lucratur distributiones, quando abest à choro ob infirmitatem, quae sit gravis iudicio Medici.

Item si non assistit, ut caveat grave damnum, sive in corpore, sive in bonis fortunae, sive in honore.

Et rursus si abest ob utilitatem propriae Ecclesiae, non autem si ob utilitatem alienae.

Unde Vicarius Episcopi, etsi quandiu Episcopo inservit, fructus Canonatus percipere possit, non tamen distributiones absentiae à choro respondentis.

At poenitentiarius Canonicus lucratur, fructus & distributiones, quando in propria Ecclesia confessionibus audiendis vacat.

Canonicus Parochus lucratur fructus sui canonatus, quando Parochiae deservit, non tamen distributiones quotidianas.

Theologus alicujus Ecclesiae, si absit à choro ut legat, vel concionetur in propria Ecclesia, lucratur distributiones.

Absens causa studii lucratur fructus, non tamen distributiones. Verùm in his omnibus videnda est locorum consuetudo legitime praescripta.

CAP. III. *Ref. 1.* Adoratio, per quam aliquis suum corpus ad Deum venerandum exhibet, est actus Religionis externus.

Excel-

Excellentibus creaturis dulciam, & adorationem exhibemus; Deo soli latriam, & sacrificium.

Duplicem Deo adorationem exhibere debemus, corporalem & spiritualem, quarum illa ad hanc referenda est.

Determinatio loci non requiritur ad adorationem principaliter, sed secundum aliquam decentiam, sicut & alia corporalia signa.

Eligitur locus ad adorandum triplici de causa; nempe propter consecrationem, mysteria, & concursum.

Ex decentia adoramus versus orientem, propter divinam majestatem, paradysum, & Christum.

Res. 2. Sacrificium est actus externus Religionis, quo aliqua res exterior Deo offertur.

Oblatio sacrificii in communi est de lege naturæ, determinatio verò sacrificiorum est ex institutione divina, vel humana.

Debemus sacrificium externum & internum soli Deo offerre, tanquam principio & fini nostro.

Actus qui aliunde non habent laudem, quàm quia fiunt in honorem Dei, sunt propriè sacrificia.

Sacrificia sunt oblationes, cum aliqua immutatione, sed oblationes non sunt sacrificia. Primitiæ sunt oblationes non sacrificia. At decimæ nec sunt oblationes, nec sacrificia.

Omnes tenentur Deo offerre sacrificium interius, nempe devotam mentem. Ad exterius verò aliter tenentur existentes sub lege veteri, aut nova, aliter quàm non sub lege.

Omnes tenemur ad virtutes quæ sunt de præcepto, non autem ad eas quæ sunt supererogationis.

In lege nova nullum est verum sacrificium, præter Eucharistiæ oblationem; oblatio autem thuris non est sacrificium, sed cæremonia ab Ecclesia instituta.

Res. 3. Inter actus Religionis externos, quibus aliquid

aliquid Deo offertur, ponuntur oblationes, & primitiæ.

Oblationes non sunt de præcepto, nisi propter necessitatem ministrorum, aut consuetudinem, aliamve ejusmodi causam fieri debeant.

Qui oblationes debitas non reddunt, possunt puniri privatione sacramentorum, non per ipsum sacerdotem, cui debentur, sed per superiorem aliquem.

Sacerdotes tenentur oblationes non modo in proprios usus, sed etiam in cultum divinum, & in usum pauperum convertere.

Religiosi possunt oblationes accipere ut pauperes, ut ministri altaris, & ut parochi.

Possunt fieri oblationes de qualibet re licite possessa, nisi id vergat in damnum alterius, aut scandalum inde oriatur. Unde possunt acceptari privatim factæ de mercede prostibuli.

Non est obligatio solvendi primitiæ, ubi ministri Ecclesiæ aliunde sufficienter habent, ut sustententur.

Res. 4. Solutio etiam decimarum inter actus externos Religionis numerari solet.

Est ex jure naturæ, quod aliquid detur ministris Ecclesiæ in sustentationem; quod autem detur decima pars, est jam ex determinatione Ecclesiæ.

Modo ministri Ecclesiæ habeant unde sustententur possunt aliqui eximi à solutione decimarum, ob consuetudinem, præscriptionem, aliasve causas.

Decimæ sunt triplicis generis, quarum aliæ dicuntur personales, aliæ prædiales, aliæ mixtæ.

Jus solvendi decimas personales ferè ubique abrogatum est; quare videndum quid hac de re ferat locorum consuetudo.

Decimæ verò prædiales & mixtæ solvendæ sunt per se loquendo, ex integris omnibus fructibus bonorum mobilium, & immobilium.

Jus percipiendi decimas ad solos Clericos spectat, ipsæ verò decimæ ad laicos possunt pertinere.

— Summus

Summus Pontifex ex justa causa, redditus decimarum laicis in perpetuum concedere potest.

Non potest jam Episcopus, sine consensu Pontificis, Ecclesie suae decimas concedere laicis in feudum perpetuum.

Potest tamen, mortuo ultimo feudatario, decimas nondum acceptatas, alteri infeudare.

Decimae prae diales videntur pertinere ad Ecclesiam in cuius terminis prae dia sita sunt. Spectanda tamen locorum consuetudo.

Quando grex in duabus Parochiis pascitur, decimae debentur utrique Ecclesiae: & magis ubi pascitur, quam ubi locatur.

Clerici ut habent Ecclesiasticas possessiones, non tenentur solvere decimas: secus quatenus possident alia bona.

Durum est, quod Ecclesia non teneatur solvere decimas ex hereditate ipsi concessa, quae in territorio alterius parochiae sita est.

CAP. IV. *Res. 1.* Inter actus externos Religionis numeratur etiam votum, per quod homines Deo aliquid promittunt, quod tenentur reddere.

Ad valorem voti requiritur voluntas plenè deliberata, vovendi & se obligandi, non tamen, exequendi.

Ad materiam voti necesse est ut sit in nostra potestate, & opus bonum, quod melius non impediat.

Qui vovit Religionem, si hic non recipitur, tenetur alibi ingredi; secus si se specialiter obligavit ad hanc Religionem.

Expedit homini vovere, etsi inde per accidens aliquod periculum oriatur, ex defectu voventis.

Promissio facta Sanctis, vel Praelatis cadit sub voto materialiter, quatenus homo vovet Deo se impleturum quod Sanctis, vel hominibus promittit.

Laudabilius est & magis meritorium facere aliquid ex voto, quam sine voto.

Votum

Votum solemnizatur per susceptionem sacri Ordinis, & per professionem certæ Regulæ.

Res. 3. Alteri subditus non potest vovere sine sui superioris consensu in his in quibus illi subjicitur.

Homo liber ex quo pervenit ad annos pubertatis, est suæ potestatis, quantum ad spectantia ad suam personam, sed non quoad dispensationem domesticam.

Non valet votum Religiosi, sine consensu superioris, puellæ sine consensu patris, uxoris sine consensu mariti, servi sine consensu domini. Est tamen licitum.

Res. 4. Obligatio voti tolli potest 1. per irritationem. 2. per Epiikeiam. 3. per dispensationem. 4. per commutationem.

Est in Ecclesia potestas propriè dispensandi in voto, non modo simplici, sed etiam solemnī castitatis religiosæ.

Non constituitur quis Religiosus, per aliquam consecrationem, sed per tria vota substantialia.

Res. 5. Episcopus potest dispensare in omnibus votis, exceptis quinque vulgaribus summo Pontifici reservatis.

Parochi, aliive sacerdotes inferiores non habent per se loquendo, potestatem dispensandi in votis.

Ut quis possit dispensare in votis reservatis, non sufficit quod habeat generalem facultatem dispensandi in votis omnibus.

Potest vovens propria authoritate votum commutare in id quod evidenter melius est.

Non tamen fieri debet ejusmodi commutatio in votis Papæ reservatis, nisi quis ea in professionem vitæ Religiosæ commutare velit.

Ut commutatio voti fiat in æquale, requiritur ex probabiliore sententia, authoritas superioris.

Res. 6. Dispensatio voti data sine justa causa, non modo

modo est illicita, sed etiam irrita: at irritatio voti sine causa facta, valet.

Commutatio voti in melius, non requirit aliam causam, at commutatio in æquale, exigit.

Accedente causa sufficienti ad dispensationem, potest simpliciter dari dispensatio, tutius tamen est commutatione uti.

Confessarius habens potestatem commutandi vota, debet ea commutare in aliquid æquale. Quæ tamen in re non est nimis scrupulosè agendum.

Et si per se loquendo, magis expediat vota commutare in similia, non tamen est obligatio eam similitudinem servandi.

CAP. V. *Ref. 1.* Juramentum est actus Religionis externus, quo Deus in testem invocatur.

Est duplex, assertorium, & promissorium. Est etiam duplex jurandi modus, unus per simplicem contestationem alter per execrationem.

Juramentum est per se licitum & honestum, per accidens verò illicitum, quando scilicet indebitè usurpatur.

In juramento tres conditiones debent reperiri, nempe judicium, veritas, & justitia.

Juramentum non est de rebus per se appetendis, sed de necessariis, quæ scilicet non quæruntur, nisi ad subveniendum alicui infirmitati.

Creaturæ interdum assumuntur ad juramentum, non secundum se, sed quatenus veritas divina in iis manifestatur.

Ref. 2. Juramentum assertorium obligat sub mortali, ad dicendum verum in quacunque materia.

Qui juramento promisit se aliquid facturum, peccat mortaliter si in re gravi, & licita non curet juramentum implere.

Non est peccatum mortale, partem aliquam exiguam materiæ, juramenti promissorii non implere.

Parvitas materiæ excusat à mortali, etsi tota materia juramenti negligatur. *Ref.*

Res. 3. Iuramentum quod quis coactus facit coram Deo obligat, etsi obligatio cesset respectu cogentis.

Unde metu mortis promittens latroni centum nummos, tenetur solvere si promissioni iuramentum adhibuit.

Item obligat iuramentum redeundi ad carcerem, etiam cum periculo mortis siue iustæ, siue iniustæ.

Nota in his & similibus casibus promittentem posse obtinere dispensationem à iuramento, ut ab obligatione solvendi liberetur.

Res. 4. Quando non est eadem intentio jurantis, & ejus cui juratur, sine dolo jurans non tenetur iuramentum implere, nisi secundum propriam mentem.

Si autem jurans dolum adhibet, S. Thomas putat eum teneri iuramentum implere ad mentem alterius; quod tamen aliis videtur difficile.

Major est obligatio voti, quàm iuramenti promissorii; at minor quàm assertorii.

Res. 5. Aliqua ex causa rationabili dispensari potest in iuramento, sicut in lege, & in voto.

Quæ dispensatio non facit ut aliquid contra iuramentum fiat, sed ut quod cadebat sub iuramento, sub eo non cadat.

Ille potest dispensare in iuramento, in cuius utilitatem aliquid promissum est, non si ei promissum sit aliquid in honorem Dei, vel in utilitatem aliorum.

Episcopus potest dispensare in iuramento, de quo dubitatur, an sit licitum, vel illicitum.

Ipsemet jurans potest propria auctoritate; iuramentum commutare in id quod evidenter melius est modo ea commutatio non cedat in præjudicium promissarii.

Summo Pontifici sunt reservata iuramenta, quæ versantur circa materiam quinque votorum ipsi reservatorum.

Potest

Potest unusquisque irritare juramenta à sibi subditis facta, circa ea quæ ejus potestati subduntur.

An qui ex privilegio potest dispensare in votis, possit & in juramentis, alii ajunt alii negant. Omnes concedunt, cum qui potest relaxare juramenta, posse ea commutare, non vice versa.

Res. 6. In causis criminalibus testimonium pueri ante vigesimum annum non facit plenam fidem, sufficit tamen ad præsumptionem.

Ut autem pueri in civilibus testentur, sufficit ætas. 14. annorum.

Repelluntur etiam à juramento perjuri, maximè convicti in judicio, & quorum perjurium notum est, notoreitate facti.

Quod intellige de juramento quod ipsi juranti utile est, secus de oneroso, quale, est juramentum fidelitatis.

Ex gravi causa possunt Clerici jurare in manu laici, sine licentia prælati, nisi in certis casibus.

Res. 7. Assumptio divini nominis per modum adjurationis, est actus Religionis, adeoque licitus, modo cum debitis circumstantiis fiat.

Superiores ex causa necessaria, possunt suis inferioribus necessitatem agendi adjurando imponere.

Adjurando Deum non intendimus illius voluntatem, ut hominis, immutare, sed tantum æternæ voluntatis effectum recipere.

Non licet nobis adjurare Dæmones per modum deprecationis, sed per modum compulsionis.

Nec ut aliquid ab iis addiscamus, aut per eos obtineamus; nisi interdum ex divino instinctu.

Creaturæ irrationales adjurantur, vel per modum deprecationis ad Deum directæ, vel per modum compulsionis quæ ad Dæmonem dirigitur.

Adjuratio est actus specialis distinctus à juramento, & ab oratione.

In adjuratione, sicut & in juramento requiritur
cum

cum proportione veritas, iustitia, & iudicium.

Unde qui aliquem nomine Dei adjurat, ut rem mortaliter illicitam faciat, duplex peccatum mortale committit.

Nonnulla scitu digna, quæ in publica demonum adjuratione observari debent, habentur hoc loco.

CAP. V. *Ref. 1.* Superstitio est vitium Religioni oppositum per excessum; quatenus exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.

Quatuor illius sunt species 1. superstitio indebiti cultus veri Dei. 2. idololatria. 3. divinatio. 4. observantia. Addi solent. magia, & maleficium.

Ref. 2. Superstitio indebiti cultus est duplex, nimirum perniciofa & superflua. Perniciofa adhuc duplex, ex parte cultus, & ex parte colentis: Superflua etiam duplex, alia turpis, alia vana.

Peccatum est mortale ex genere suo, falsum cultum exhibere, ut aliquid vanum miscere divino officio tanquam partem illius.

Cultus superflua non est peccatum mortale, nisi sit contra præceptum graviter obligans, vel ex gravi contemptu oriatur.

Ref. 3. Tres sunt modi idololatriæ. 1. quando creaturæ, quam putas esse Deum, divinos honores interiorius, & exteriorius exhibes. 2. quando creaturæ quam probè nosti non esse Deum, divinos honores serio exhibes. 3. quando exteriorius divinos honores exhibes creaturæ, nec credens eam esse Deum, nec intendens colere ut Deum.

Primus tantum modus est idololatriæ propriè dicta, tertius tamen est grave peccatum: verum uterque secundo tanquam peiori cedit.

Non est peccatum idololatriæ, ut falsò putant hæretici, bona intentione colere verum Deum, sine Dei verbo & mandato.

Nulla etiam est idololatria, in eo cultu, quem exhibemus Eucharistiæ, Sanctis, eorumque imaginibus, & Reliquiis.

Eucha-

Eucharistia debet sub conditione adorari, quando dubitatur an consecratio ritè peracta sit, secus si nulla est ratio hac de re dubitandi.

Ref. 4. Divinationis duæ sunt species, alia qua expressè dæmon invocatur, alia qua tantùm tacitè, quatenus mediis vanis ad occulta cognoscenda adhibitis, se immiscet.

Hæc iterum duplex, una, quando ad præcognoscendum futura, aliquid consideramus in dispositionibus, aut motibus aliquarum rerum; alia, dum aliquid facimus, ut occulta nobis manifestentur.

Ad 1. caput reducuntur præstigium, necromantia, divinatio per Pythones, &c. Ad 2. astrologia judiciaria, augurium, chyromantia, &c. Ad 3. divinatio per sortes, quæ variis modis fieri potest.

Ref. 5. Divinatio est illicita, siue fiat per tacitam, siue per expressam dæmonis invocationem. Hæc tamen est peccatum longè gravius.

Unde divinatio futurorum contingentium, quæ fit per astra, est superstitiosa & illicita. Item illa quæ fit per somnia, naturaliter, vel arte dæmonum excitata.

Idem dic de divinatione per auguria, vel omina, si extendatur ultra id ad quod potest pertingere, secundum ordinem naturæ, vel divinæ providentiæ.

Divinatio per sortes triplex est, divinatoria, consultoria, & divinatoria: quarum usus reprehenditur.

Ref. 6. Illicitum est uti observantiis artis notoriæ, qua quis utitur quibusdam figuris, aut verbis ad scientiam comparandam, quam ex se causare non possunt.

Illicitæ etiam sunt observationes ad corporum immutationem ordinatæ, puta ad sanitatem, vel ad aliquid huiusmodi. Unde damnantur imagines quas astronomicas vocant.

Observationes quæ ordinantur ad cognitionem futuro-

futurorum eventuum sunt illicitæ: qualis est recitare singulis diebus certam orationem, ut scias cui nubere debeas, &c.

In scripturis & reliquiis ad collum suspensis, & in serpentum aliorumve animalium incantationibus aliquid superstitiosum misceri potest.

Res. 7. Magia duplex naturalis & superstitiosa, illa facit mira per causas naturales, hæc per signa, operum dæmonum.

Operatio magica dignoscitur tum ex causa, tum ex modo operandi, tum ex conditione effectus.

Talis operatio fit vel circa elementa, vel circa hominum corpora, vel circa eorum animas, antequam sint separata.

Maleficium est ars nocendi aliis, ex pacto expresso, aut tacito cum dæmone. Duplex est, quorum aliud vocatur amatorium, aliud dicitur veneficium.

Nefas est petere à malefico, ut maleficium tollat alio maleficio, etsi ad hoc paratus sit.

Neque licet generatim ab eo petere ut tollat maleficium, si constat, non posse ab eo tolli sine alio maleficio.

Secus si habet media licita, etsi moraliter certus sis maleficium ab eo non tollendum nisi alio maleficio maleficio.

Licet tollere ligamina, annulos, glomos capillorum sub limine domus ad nocendum alicui inferendum defossos, si id fieri possit sine maleficio.

Maleficus potest minis & moderatis verberibus cogi, ut tollat signa quibus alicui nocet.

Licitum est apponere signa per se indifferentia, quibus positis destruitur pactum cum dæmone initum, & dæmon cessat nocere.

Unde si pactum tale est, ut dæmon oblaturus sit maleficium, ex hypothesi quod tria sacra celebrentur, totidem possunt celebrari, ut maleficium cesset.

Si maleficus est ignotus, non potes alium inducere ad

ad quærendum signum. Si tamen id novit, potes illius scientia, et si arte dæmonis comparata, in tuum commodum uti.

CAP. VII. *Ref. 1.* Variæ sunt species irreligiositatis; quarum prima est tentatio Dei, verbis, aut factis; idque vel expressè, vel interpretativè facta.

Propter aliquam necessitatem se committere divino auxilio, id non est Deum tentare.

Tentare Deum ad hoc, ut ipse tentans agnoscat Dei virtutem, est peccatum; non, ut alii agnoscant.

Illicitum est velle probare per cognitionem speculativam, an voluntas Dei sit bona; non per affectivam seu experimentalem.

Tentare Deum est vitium Religioni oppositum, in quod cadit qui ad orationem sine debita præparatione accedit.

Superstitio est gravius peccatum tentatione Dei, quæ tamen ex genere suo peccatum est mortale.

Ref. 2. Secunda species irreligiositatis ad contemptum Dei spectans, est perjurium; quod rectè definiti potest, mendacium juramento firmatum.

Non ita est perjurus ille qui falsum jurat, quod putat esse verum, sicut ille qui verum jurat, quod putat esse falsum.

Perjurium est peccatum ad Dei irreverentiam spectans, adeoque Religioni oppositum, & ex genere suo mortale.

Novus civis tenetur servare statuta civitatis, non vi juramenti à civitate aliàs emissi, sed ex fidelitate qua socius bonorum, debet esse & onerum.

Mortaliter peccat, tum qui non implet quod coactus juravit, tum qui jocosè pejerat, modo jurare intendat.

Non peccat qui ex justa causa instat apud Judicem, ut aliquis juret quem scit falsò, aut per falsos Deos juraturum.

Ref. 3. Tertium vitium ad irreligiositatem perti-
nens,

nens, est sacrilegium, quod est speciale peccatum, & violatio rei sacrae dici potest.

Tres sunt species sacrilegii, quarum prima persona sacra, secunda loca sacra, tertia res alia sacra violantur.

Irreverentia erga Eucharistiam probabiliter constituitur in majori specie irreligiositatis, quam sit sacrilegium.

Prophanatio imaginum, & reliquiarum interdum est sacrilegium, contra Religionem, interdum peccatum inferius, contra duliam.

Conveniens poena sacrilegi, spectata a qualitate, est excommunicatio; spectata vero utilitate, per leges humanas recte imponitur poena capitis: per Ecclesiasticas vero, poena pecuniaria.

Ref. 4. Quartum vitium irreligiositatis, est simonia, quae definiri solet, studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.

Triplex est simonia mentalis eaque duplex, conventionalis, & realis.

Ref. 5. Simonia est, accipere pecuniam pro gratia sacramentorum, non autem accipere stipendium, pro sustentatione ministrantium sacramenta.

Similiter vendere, aut emere quod spirituale est in actibus spiritualibus, est simoniacum.

Potest praedicator, & divinum officium celebrans aliquid accipere, non quasi in pretium, sed in sustentationem.

Qui tamen scientia praeditus est, potest pretium suae doctrinae, vel consilii accipere, veluti operas suas locando.

Non licet pro ingressu monasterii, aliquid accipere quasi pretium; licet tamen pro victu, si ad hoc opes monasterii non sufficiunt.

Beneficium, quod aliud nihil est, quam jus ob titulum spiritualem, percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, vendi non potest.

Jus patronatus per se vendi non potest, vel in feudum

dum dari, sed transit cum villa quæ venditur, vel conceditur.

Res. 6. In resignationibus beneficiorum committitur simonia, tum quando fit resignatio, in manibus Ordinarii, in favorem tertii; tum quando sub specie permutationis, resignationes fiunt coram Ordinario, tum quando resignatio in favorem tertii facta fit cū regressu, aut cum accessu, aut cum ingressu.

In permutationibus beneficiorum simonia contingit primò, quando permutatio fit sine licentia Episcopi; aut si beneficia sint reservata, sine licentia Papæ.

Secundò, quando beneficium propria auctoritate permutatur cum pensione, aut portione præstimoniali. Secus si auctoritate Ordinarii, commutetur cum pensione clericali, in titulum beneficii erecta.

Tertiò, quando in permutatione dignioris cum minùs digno, datur pecunia in compensationem inæqualitatis illius spiritualis. Imò & quando beneficia, priùs purè & simpliciter permutantur; deinde eorum possessiones data & accepta pecunia, ad æqualitatem reducuntur.

Possunt interdum Episcopi imponere pensionem moderatam beneficiis, ut quando id necessarium est ad sustentationem resignantis, vel ad fructus adæquandos in permutatione beneficiorum.

Quartò, in materia beneficii omnia pacta onerosa, & transactiones sine consensu superioris factæ, reprobantur ut simoniacæ.

Res. 7. Quando aliquis jus acquisivit in beneficiū, non est simonia dare pecuniam ad redimendam injustam vexationem, quæ ad tale jus tollendum infertur.

Requiritur tamen 1. ut jus sit certum & indubitatum. 2. ut jus illud sit plenum, & non tantum inchoatum. 3. ut vexatio sit injusta. 4. ut quod datur ad eam tollendam, sit temporale.

Simo-

Simonia committitur, quando datur pecunia, ut quis ante jus acquisitum ad beneficium, redimat justam vexationem, qua impeditur ne tale jus acquirat.

Verum si vexatio sit injusta, & vexans possit quidem obesse, non tamen prodesse, licet vexationem redimere; secus si vexans etiam prodesse possit.

Res. s. Simonia committitur, quando datur beneficium pro munere à manu, id est pro pecunia, aliave re pretio aestimabili.

Non tamen est simonia, si munus aliquod offers collatori, ad ineundam illius gratiam, ut postea ex amicitia beneficium tibi conferat. Verum hoc in praxi non caret periculo.

Non est simonia, ex gratitudine, & ad satisfaciendum obligationi antidotali, dare beneficium; ejusmodi tamen obligatio sine simonia, in pactum deduci non potest.

Simonia est dare beneficium propter munus ab obsequio seu in compensationem obsequii exhibiti, ob quod temporalis merces debetur.

Non est tamen simonia, excluso omni pacto, servire Episcopo ad consequendam illius benevolentiam, & ex ea sperare beneficium.

Non est simonia, conferre beneficium cum onere temporali ei annexo, docendi v. c. Theologiam, vel Grammaticam: est tamen, conferre pro tali onere, ei minimè annexo.

Simonia est, dare beneficium pro obsequio spirituali jam exhibito, tum quando tale officium resolvitur in temporale, tum quando ante obsequium praestitum, initum est pactum conferendi beneficium in compensationem illius.

Est simonia, dare beneficium propter obsequium spirituale exhibendum, minimè ei annexum, & imposita ex pacto obligatione illud exhibendi: v. c. recitandi rot missas.

Est simonia, quando Prælatus dat beneficium alicui

cui ea lege, ut pro illo preces adhibeat apud Principem. Non tamen, si ob preces tuas Prælatus alicui beneficium conferat.

Res. 9. Simonia mentalis non subjacet poenis in jure latis contra simoniacos. Idem dic de conventionali, nisi sit confidentiæ, quæ excommunicationi papali, aliisque poenis subjicitur.

Beneficium simoniacè acquisitum restituendum est superiori, & pretium illius ipsi danti, si beneficium nondum sit traditum, secus Ecclesiæ, vel pauperibus.

DE JUSTITIA.

CAP. VIII. **J**ustitia strictè sumpta definiri solet, *Res. 1.* Perpetua & constans voluntas jus suum unicuique tribuendi.

Distinguitur à temperantia & fortitudine, quia non sunt ad alterum; & à Religione, amicitia, pietate, aliisque virtutibus quæ sunt ad alterum, quia deficiunt à ratione æqualis, vel debiti.

Jus seu debitum legale est duplex, aliud simpliciter, aliud secundum quid. Prius quod respicitur à justitia, tres conditiones exigit. 1. ut simpliciter sit debitum. 2. ut constituat æqualitatem simpliciter. 3. ut sit simpliciter ad alterum.

Tale autem jus seu opus justum quod attenditur à justitia, supponit in alio jus exigendi, & respectu illius dicitur debitum & æquale.

Unde quando dicitur, proprium esse justitiæ constituere æqualitatem, hoc non debet semper intelligi de æqualitate rei ad rem, sed de æqualitate cum jure alterius.

Indeque colligi potest, quo sensu justitia dicatur habere medium rei, aliæ verò virtutes morales medium rationis.

Intelligitur quoque, eam non versari per se circa passiones, sed tantummodo circa res & actiones

externas, per quas homo ordinatur ad alterum.

Et rursus, objectum materiale justitiæ esse opus justum alteri debitum, formale idem opus ut debitum. Item, idem opus esse objectum quod, personam vero cui debetur, objectum cui.

Ref. 2. Justitia particularis vulgò dividitur in commutativam, & distributivam, tanquam in species distinctas.

In justitia distributiva medium sumitur, secundum geometricam proportionem; in commutativa, secundum arithmeticam.

Conditio personæ in justitia distributiva attenditur secundum se; in commutativa autem, per accidens.

Justitia distributiva, & commutativa non distinguuntur quoad materiam remotam, sed quoad proximam.

Distributiva respicit distributiones bonorum, & onerum communium, commutativa vero commutationes humanis usibus accommodatas, easque vel utrinque, ut in contractibus, vel ex parte tantum, ut in delictis voluntariis.

Porro circa has posteriores versatur, ut eas corrigat, & ad æqualitatem per debitam compensationem reducat.

In justitia distributiva justum ex contrapasso non constituitur, neque ut plurimum in commutativa, sed interdum per accidens.

Ref. 3. Inter species justitiæ strictè sumptæ numerari etiam solet justitia legalis quæ est virtus specialis bonum commune respiciens.

Unde distinguitur à pietate, & obedientia. Potest autem reduci ad justitiam commutativam.

Ref. 4. Justitia etiam vindicativa est vera species justitiæ, non tamen à commutativa distincta.

Persona læsa exercet quoad effectum, actum justitiæ commutativæ, quando à judice vindictam injuriæ commensam postulat.

CAP.

CAP. IX. *Res. 1.* Dominium à Juristis definitur, jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lex obstet.

Quæ definitio admittitur à Theologis, modo particula illa, *corporali*, ex ea tollatur.

Ea non competit dominio jurisdictionis, nec dominio proprietatis imperfecto sive directo, sive utili, sed perfecto quod proprietatem, & usum completur.

Uusus est jus utendi re aliena, salva illius substantia: usufructus verò jus ea utendi, & fruendi.

Servitus sumitur pro subjectione, seu obligatione quæ est in re alicujus, ut quodammodo serviat alteri, & pro jure tali obligationi respondente.

Sumitur quoque, non modo pro jure utendi, aut fruendi re aliena, sed etiam circa illam aliquid impediendi.

Possessio est duplex, alia facti, alia juris: prior definitur à Juristis, apprehensio, vel detentio rei corporalis adminiculo corporis animi, & juris. Posterior, jus insistendi alicui rei tanquam suæ, non prohibita possideri.

Verùm Theologicè prior potest definiri, Occupatio rei alicujus facta proprio nomine. Posterior vero, jus retinendi & utendi re occupata ab aliquo, tanquam proprio ipsius domino.

Res. 2. Dominium ut hîc sumitur, pro potestate liberè utendi re aliqua, est opus solius substantiæ intellectualis.

Omnis substantia intellectualis est capax domini. Nec tantùm Deus, & Angeli, sed etiam homines, imò & infantes.

Filii-familias nondum emancipati habent dominium, & usum-fructum bonorum castrensiùm, & quasi castrensiùm: Adventitiorum autem, non nisi proprietatem.

Et si servus non habeat eorum dominium, quæ acquirir

quirit ut servus, potest tamen habere acquisitionum alio titulo.

Homo rerum quas possidet, non amittit dominium, etsi in peccatum mortale labatur.

Ref. 3. Homo habet per se loquendo, dominium in res corporeas sub caelo existentes; quamvis non omnes sibi applicare possit.

Ecclesiae, & communitates habent dominium bonorum ipsis concessorum, etsi non possint ea alienare.

Religiosi tamen solemniter professi, nullius rei temporalis dominium in particulari habere possunt.

Unus homo potest dominium acquirere in alterum idque quatuor modis: nempe jure belli, navitate ex serva, iusta condemnatione, & emptione.

Consuetudine tamen introductum est, ut Christiani non fiant servi Christianorum, à quibus in bello capiuntur.

Homo non habet dominium in vitam, & membra corporis sui, sed est tantum eorum custos.

Verum est dominus suae famae & honoris, adeoque potest illius detrimentum pati, nisi id vergat in damnum alterius.

Dici etiam potest, hominem habere aliquo modo dominium bonorum spiritualium.

Ref. 4. Ad acquisitionem domini requiritur titulus, & plerumque rei traditio, seu apprehensio. Titulus tamen interdum sufficit, ut in acceptatione beneficii, & hereditatis.

In his & similibus casibus, per solum titulum datur jus in re, in aliis vero plerisque datur tantum jus ad rem.

Jus in re dicitur illud, quod immediatè tribuit actionem in rem; jus vero ad rem, quod tribuit tantam actionem in personam.

Res quae nullius sunt, fiunt primò occupantis, ita
ut qui

ut qui prius eas capit, acquirat earum dominium, nec possit iis privari, sine iniustitia.

Quomodo id debeat intelligi, in multarum rerum occupatione, vel inventione speciatim declaratur.

Res. 5. Legitimus modus comparandi alicujus rei, quæ alterius est dominium, est per voluntatem domini, illius dominium in alium transferentis.

Dominium non transfertur per solum actum internum, sicut per ejusmodi actum deperditur.

Promissio quæ est deliberata & spontanea fidei obligatio, facta alteri de re aliqua bona & possibili, non obligat ante acceptationem, saltem ut plurimum.

Quod addo, quia promissiones factæ civitati, vel universitati, vel Ecclesiæ, vel hospitali obligant ante acceptationem.

Promissio seriò facta & acceptata obligat sub mortali, quando res promissa est notabilis. In quibusdam tamen casibus obligatio cessat.

Materia quæ est gravis in furto, non est eò ipso gravis in promissione, adeoque requiritur major ad peccatum mortale in ea constituendum.

Non transfertur dominium per contractum jure naturali validum, & jure civili, vel canopico irritum, Secus si talis contractus tantum non amittatur jure humano ut legitimus, nec detur actio contra debitorem.

Res. 6. Dispositione legis humanæ, dominium alicujus rei acquiritur sine consensu domini, per præscriptionem.

Præscriptio hic sumitur pro acquisitione domini, per continuationem possessionis, tempore à lege definito.

Ejus eavis est, ut non tantum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ dominium transferat in possessorem.

Ut valeat, requiritur possessio saltem civilis, eaque propria, bona fides, titulus probabiliter prescriptus, saltem ut plurimum, & tempus legitimum, seu jure prescriptum.

Ignorantia vincibilis sive sit juris, sive facti, non sufficit ad prescriptionem. Invincibilis vero si sit facti, aut juris dubii sufficit, non si sit juris perspicui.

Tempus ad prescriptionem requisitum varium, est, juxta varias condiciones rerum quae prescribuntur.

Conceditur restitutio in integrum per quatuor annos post expletum tempus prescriptionis.

DE CONTRACTIBVS.

CAP. X. **C**ontractus est conventio mutua, seu *par*
Ref. 1. **C**ontractum ex quo vel ex utraque, vel saltem ex altera parte oritur obligatio.

Quidam contractus dicuntur perfici re, alii consensu, alii verbis, alii scriptura.

Contractus dividitur in nominatum & innominatum, cujus 4. sunt species vulgares, Do ut des, &c. 2. in contractum bonae fidei, & stricti juris. 3. in lucrativum, & in onerosum.

Ref. 2. Ad valorem contractus requiritur consensus liber, procedens ex intentione se obligandi, & signo aliquo externo expressus.

Contractus factus per metum injustè incussum, valet, donec per sententiam irritetur. Qui tamen per talem contractum aliquid acquirit, tenetur ad restitutionem.

Error circa substantiam irritat contractum, non error circa rei accidentia, si sit tantum committens.

Iste tamen contractus in foro conscientiae rescindi potest, ex parte decepti, quando dolus alterius contrahentis ei causam dedit.

Contra-

Contractus jure positivo, ob bonum commune vel in odium creditoris irritus, non firmatur juramento. Secus si ob privatam utilitatem debitoris irritus sit.

Contractus per juramentum firmati obligatio transit ad hæredes, non autem illius qui, et si juratus, invalidus manet.

Ref. 3. Inter contractus onerosos emptio, & venditio primum locum obtinet.

Ref. 4. Emptio est contractus, quo datur pretium pro merce. Venditio autem contractus, quo datur merx pro pretio.

Alii tamen malunt definire Contractum emptionis, & venditionis, per obligationem tradendi pretium pro merce, & mercem pro pretio, quam per traditionem ipsam.

Hic contractus est justus, quando pretium est æquale rei venditæ, injustus, quando est inæquale.

Pretium quod spectatis variis circumstantiis, à Principe taxatur, omnino justum est, consistitque in indivisibili; ita ut nequeat augeri, vel minui.

Aliud est pretium arbitrium, quod habet quandam latitudinem, & vulgò dividitur in summum, medium, & infimum.

Ex vi contractus emptionis, nunquam licet rem pluris vendere, aut minoris emere quàm valeat. Licet tamen ob lucrum cessans, & damnum emergens.

Idem etiam licet ob periculum amittendi pretiũ, aut mercem: quo titulo excusantur, qui carius creditò vendunt, aut vilius anticipatè emunt.

Monopolia exercentes graviter peccant, ob notabile damnum quod Reipublicæ inferunt.

Ref. 5. Potest etiam in hoc contractu injustitia committi ratione rei venditæ, idque dupliciter. 1. si res spiritualis vendatur. 2. si res habens oculum defectum, vendatur ut sana & integra.

Venditor non manifestans vitium rei notabile

k s emptori,

emptori, tenetur ad restitutionem pretii, & damnis nisi venditor proprio periculo eam emerit.

Contractus valet, si ex hypothese quod defectus mercis fuisset revelatus, emptor nihilominus emisset, quamquam minori pretio.

Venditor non tenetur manifestare vitium occultum, quando propter illud res non redditur notabiliter minus utilis ad id, pro quo emitur.

Contractus tamen nullus est tum si res empti non est, nisi sub conditione quod vitio careat; tum si venditor interrogatus de vitiis occultis, ea non debeat.

Quando vitium est apertum, venditor non tenetur illud manifestare, nisi ex charitate, cum videt illud ab emptore non cognosci.

Contractus valet, quando venditor ignorat vitium rei; debet tamen restituere excessum pretii, at non damnum, si quod inde ortum est, compensare.

Venditor tenetur de vitio occulto ipsi noto, et si in contractu generatim dicat, se nolle teneri de vitiis occultis rei, si quæ in ea sunt.

Emptor volens restituere rem emptam, ob notabile vitium in ea deprehensum, debet etiam restituere fructus illius.

Et venditor tenetur vice versa, restituere pretium emptori, & reparare damna, si quæ ex rei vitiosa venditione orta sunt.

Res. 6. Mutuum est contractus quo quis tradit alteri rem suam ad usum, ut statim fiat accipientis, & restituat postea tantundem ejusdem speciei & bonitatis.

Illius materia est ut plurimum, res usu consumptibilis, quæque consistit in numero, pondere & mensura.

Vitiatur per usuram, quæ est contractus, quo aliquid exigitur ultra sortem, tanquam ex iustitia debitum, ex vi mutui.

Licet.

DE CONTRACTIBUS. 219

Licet non possit sumi auctarium ratione mutui, potest tamen in mutuo, idque donatione gratuita, ratione damni emergentis & lucri cessantis, pro onere mutuandi, ut fit in montibus pietatis, pro periculo fortis, ratione poenae conventionalis, & addendo pactum legis commissoriae in pignoribus.

In mutuo, omnia pacta quibus imponuntur onera aliqua pretio aestimabilia, ratione mutui, sunt usuraria.

Pactum restituendi totidem nummos, non est usurarium, si aequè dubium est an plus, an minus sint valituri. Secus si probabilius est plus valituros, & mutuans tamdiu servaturus non erat.

Quod si probabilius est, pecuniam minus valituram, pactum non est usurarium, etiam si mutuans alioquin id tempus servaturus esset.

Res. 7. Contractus census quo datur jus percipiendi certam pensionem, ex re alterius frugifera, per se licitus est.

Ut justus sit, debet 1. constitui in re fructifera. 2. emi justo pretio. 3. requiritur ut res secluso pacto asecurationis, & culpa censuarii, pereat censualista. 4. ut non possit res censualis alienari, sine consensu censualista.

Licita est emptio census, cum pacto retrovendendi facto in gratiam venditoris; modo venditor minuat de pretio, juxta aestimationem gravaminis.

Est etiam licita cum illo pacto, facta in gratiam emptoris; quamvis ut sic, in praxi sit periculosa, adeoque minimè consulenda.

Res. 3. Cambium est contractus, quo pecunia pro pecunia commutatur. Quod dividitur. 1. in siccum, & reale. 2. reale subdividitur in minutum, & locale.

Cambium siccum est usurarium, reale verò minutum seu simplex licitum est, etsi in eo aliquid accipiatur, supra valorem monetae lege constitutum.

Reale locale cum lucro moderato licitum est, sive

campfor det pecuniam alibi recipiendam, five accipiat, alibi solvendam.

Licita est per se loquendo, species quædam cambii, & recambii, quæ quibusdam locis est in usu. Est tamen in praxi periculosa.

Res. 9. Locatio, & conductio sunt unus & idem contractus, quo res, vel persona aliqua ad usum, vel fructum pro pretio alteri conceditur, & ab eodem accipitur.

Qui operam suam alicui pro justo pretio locavit, non potest tantundem ab alio accipere, cui est a quæ commoda ac si pro eo solo exhiberetur.

Solvendum est justum stipendium famulis, modo debitam operam præstiterint.

Nefas est famulis occulta uti compensatione, surripiendo aliquid supra id de quo conventum est.

Emphyteusis est contractus, quo quis tradit rem suam immobilem, cum translatione domini utilis, retento directo, sub certa pensione proprietario solvenda.

Feudum verò est contractus, quo, retento dominio directo, datur alteri res immobilis, quoad dominium utile, sub onere exhibendi fidelitatem, & obsequium personale.

Dividitur multipliciter, ac speciatim in ligium, quo juratur fidelitas contra omnem hominem, & non ligium, quo juratur cum exceptione prioris domini.

Contractus societatis, qui est, conventio duorum, aut plurium facta ut conferatur aliquid ad lucrandum idoneum, in usum, aut quæstum communem, ex se licitus est.

Quando unus apponit solam pecuniam, & alius solam industriam, interdum divisio facienda est ex tota summa constante ex forte & lucro, ut plurimum, verò ex solo lucro.

In contractu societatis possunt conjungi duo alii contractus, quorum altero lucrum aliquod certum, altero principale assicretur.

Om-

Omnisque possunt implicite sic cum mercatore iniri, Confero centum in societatem, ut salvo capitali, solvas quinque, modo licito.

DE RESTITUTIONE.

CAP. XI. **R**estitutio est actus ad salutem necessarius, non quidem necessitate medii, sed præcepti.

Præceptum istud est negativum, de non retinenda re aliena, reduciturque ad præceptum non furandi.

Obligatio restituendi non oritur ex violatione charitatis, aliarumve virtutum, à justitia distinctarum.

Oritur autem ex violatione justitiæ commutativæ, imò & ex violatione distributivæ.

Hæc tamen posterior restitutio non est proxime actus justitiæ distributivæ, sed commutativæ.

Ref. 2. Obligatio restituendi oritur 1. ex re accepta, 2. ex injusta acceptatione. 3. ex utraque.

Rem alienam bona fide possidens, tenetur eam restituere, cum primum novit non esse suam.

Quod sic intellige, ut non possit pretium quo eam emit, à domino exigere, sed tantum à fure repetere.

Si bona fide eam consumpsit, id tantum tenetur restituere, in quo ditior factus est.

Quando dubitare incipit an sit aliena, debet veritatem serio investigare, qua non detecta, dubium in praxi deponat.

Possessor malæ fidei tenetur ad restitutionem rei, & fructuum quos ex ea percepit, eorumque quos dominus percepisset.

Ref. 3. Ille maxime restituere tenetur, qui ut causa principalis alteri damnum infert.

Ut quis teneatur restituere, ob damnum quod extra contractum illatum est, requiritur culpa Theologica, seu verum peccatum, sive sit mortale, sive veniale.

Nulla est obligatio compensandi damnum, ex
presupposito contractu fortuito ortum.

Excipe 1. nisi culpa præcesserit casum. 2. nisi inter-
cesserit culpabilis mora 3. nisi accipiens se expresse
obligaverit ad casum fortuitum; & non tantum gene-
ratim ad omnem casum.

In contractibus qui sunt in gratiam solius accipi-
entis, iste tenetur etiam de culpa levissima: at in iis
qui sunt in gratiam solius dantis, accipiens non tene-
tur nisi de culpa lata: in contractibus vero qui in bo-
num utriusque redundant, accipiens tenetur de cul-
pa levi, non de levissima.

Cooperantes ad damnum alicui illatum tenentur
restituere. Qui omnes duobus his versibus compre-
henduntur

*In sio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, metus, non obstans, non manifestans.*

Quando multi communi consilio ad damnum ali-
quod inferendam concurrunt, singuli tenentur in
solidum: aliis quisque tenetur tantum pro parte.

Quando actio est lucrativa, ille tenetur primò re-
stituere qui rem injustè acceptam apud se habet, aut
consumpsit: quando non est lucrativa, ille qui man-
davit, deinde executor, &c.

Quando principalis debitor restituit, alii ad nihil
tenentur; at quando restituens non est principalis
debitor, superiores tenentur illi refundere, non in-
feriores.

Ref. 5. Bona incerta probabiliter possunt retineri,
quando per contractum justum bona fide acquisita
sunt: sed tutius est, ea erogare in pauperes.

Idem dic de inventis, si præmissa diligenti inqui-
sitione, eorum dominus non compareat.

Si autem bona incerta per injustitiam accepta
sunt, ea retineri non possunt, sed in pauperes distri-
bui debent.

Bona

Bona certa ut plurimum domino suo, aut iusto possessori restitui debent.

Debitor ex contractu tenetur restituere tempore condicto, debitor verò ex delicto, quamprimum restituere debet.

Si obligatio oriatur ex contractu, restitutio fieri debet in loco qui in contractu exprimitur, vel ubi res accipitur.

Rei bona fide possessæ restitutio fieri debet, in loco ubi reperitur, at mala fide possessæ restitutio fieri debet in loco, ubi dominus eam possideret, deductis deducendis.

Res. 6. Quando bona debitoris non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus creditoribus, in primis solvenda prius sunt debita certa, quàm incerta; nisi hæc eadem numero existant.

Secundò inter creditores certos ille præferendus est, qui credito vendidit rem, quæ adhuc extat apud emptorem.

Tertiò debita orta ex contractu oneroso, prius solvi debent, quàm orta ex contractu gratioso.

Quartò prius solvendum creditoribus hypothecariis, quàm chirographariis.

Quintò inter creditores hypothecarios ille præferendus, cui res prius fuit hypothecata, nisi pecunia alterius empta, aut constructa, aut conservata fuerit.

Sextò inter creditores chirographarios, prius solvendum privilegiatis, quàm aliis.

Septimò inter non privilegiatos, non est habenda ratio temporis, adeoque primò petenti integrè satisfieri potest.

Octavò, etsi eorum unus sit pauper, id non sufficit ut prius illi, quàm alteri solvere tenearis.

Res. 7. Restitutio differri potest 1. quando probabiliter timetur eam creditori graviter fore perniciosa. 2. quando non potest debitor restituere, sine gravi damno, vel infamia. 3. quando debitor

est

est in extrema, aut gravi necessitate. 4. propter cessionem bonorum.

Potest verò omitti 1. ob remissionem, seu condonationem sive expressam, sive tacitam. 2. quando sufficiens compensatio facta est à creditore. 3. si quantum debes tuo creditori, tantum solvas creditori illius. 4. quando debita sunt incerta, & à summo Pontifice compositio obtinetur.

Ære alieno gravatus non debet Religionem ingredi, si spes sit eum manendo in saculo, debita, quibus obstrictus est, persoluturum.

Si tamen Religionem ingreditur, antequam satisfaciat, professio valet; verum tenetur aliquo artificio aliquid lucrari, ut creditoribus satisfaciatur.

CAP. XII. *Res. 1.* Qui vi, vel fraude aliquem ad peccatum induxit, tenetur ex justitia curare, ut seductus emendetur; qui verò suasionibus, ad id tantum tenetur ex charitate.

Unde qui vi, vel fraude aliquem ab ingressu Religionis, tenetur erga Religionem, & erga abductum, de damno inde sequuto.

Qui alterum injustè læsit, quoad bona animi naturalia, tenetur compensare damnum, imò & quantum fieri potest ipsam privationem.

Qui alium injustè impedit à consequutione beneficii, ad quod jus habebat, tenetur ad restitutionem, juxta talis juris æstimationem.

Quando beneficium datur in concursu, qui curat ut illud sibi, notabiliter minus digno conferatur, tenetur ad restitutionem erga magis dignum. Secus si non datur in concursu, & accipiens est dignus.

Eligens indignum tenetur restituere Ecclesiæ, eligens verò dignum in concursu, debet digniori restituere: Si tamen sunt plures electores, potest minor pars aliam, quæ vult indignum eligere, ad se trahere ad eligendum dignum.

Res. 2. Qui privata autoritate proximum inju-

DE RESTITUTIONE. 215

injustè occidit, tenetur ad expensas, & damna.

Restitutio facienda est proximis seu necessariis heredibus, non autem aliis.

Provocantes se ad duellum non tenentur ad restitutionem, si alter alterum occidat.

Idem dic de eo qui cum debito moderamine occidit in vasorem, et si causam dederit invasioni. Et de eo qui casu aliquem occidit.

Judex tenetur ad restitutionem damnorum, quando aut non sibi subditum, aut non servato ordine juris aliquem condemnat; nisi aliter eum posset legitime damnare.

Testis qui scienter falsum testimonium dixit, tenetur non modo damnum compensare, sed etiam testimonium suum retractare, si talis retractatio sit profutura.

Qui non se offert ut testetur, quando id necessarium est ad liberandum innocentem, peccat contra charitatem; non tamen tenetur ad restitutionem.

Qui verò legitime interrogatus, fraude declinat actum testificandi, tenetur ad restitutionem damni sequuti.

Ad quid teneatur qui Virginem constupravit, & adulterium commisit.

Res. 3. Detrahens de aliquo in re gravi, sive dicendo falsum, sive occultum injustè revelando, peccat mortaliter, teneturque ad restitutionem famæ.

Qui peccata alterius audita sic refert, ut merito audientes credere possint, vera esse quæ dicit, peccat mortaliter.

Qui falsum dicendo, aliquem infamavit, tenetur dictum retractare; qui occultum revelando, tenetur honorificè loqui de eo, de quo detraxit, & coram iisdem; qui verò audita retulit, debet dicere se leviter retulisse, vel hujusmodi rumoribus fidem non esse adhibendam.

Oblis.

Obligatio restituendi cessat tum si infamatus remittat, tum si quis longè inferiorem infamavit, nec possit restituere sine jactura propriae famae, tum si infamatus, alia via famam recuperavit, aut diuturnitate temporis infamia extincta sit, tum si ille quem infamasti, te vicissim in simili materia infamet.

Restituendi obligatio oritur ex contumelia, derisione, & susurratione; non tamen præcisè ex judicio temerario.

Res. 4. Qui per furtum aliquid notabile surripuit, tenetur sub mortali ad restitutionem.

Res furto ablata restituenda est si extat, etsi sit ameliorata; si non extat, æquivalenter compensanda. Debet etiam compensari lucrum cessans, & damnum emergens.

Probabile est, non esse ut plurimum injungendam restitutionem iis, qui paulatim furando ad summam notabilem pervenerunt.

Excipe, nisi poenitens furatus sit, ex intentione perveniendi ad summam notabilem, aut nisi omnia furta habeant aliqua ratione modum unius, ut fit dum mercatores falsis ponderibus, aut mensuris merces distrahunt.

Fraudantes vestigalia, & gabellas à Principibus justè impositas, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem.

Tenetur ad restitutionem, qui per ludum aliquid acquisivit ab iis, qui res suas alienare non possunt, ut minores.

Si minor solvat quod per ludum amisit, potest collusor tutà conscientia acceptum retinere, donec in judicio repetatur.

Tenetur ad restitutionem, qui aliquid lucratus est ab eo, quem vi, aut gravi metu impulit ad ludendum.

Non tenetur ad restitutionem adhibens fraudes consuetas; secus si extraordinarias, & collusori ignotas.

Tene-

DE RESTITUTIONE. 227

Tenetur restituere qui, cum longè majorem in ludo peritiam habeat, fingit se minus peritum, ut ita simpliciores ad ludendum inducat.

Qui credita pecunia, aliquid perdidit ludo lege humana prohibito, non tenetur in foro conscientia illud solvere.

Etsi victor non possit rem sic lucratam extorquere, potest tamen eam exigere, & si solvatur, retinere, nisi per sententiam cogatur eam restituere.

F I N I S.



CORRECTOR
ad Lectorem.


*Si qua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis,
Excusata suo tempore Lector habe.*


INquiebat olim Naso poëta fecundissimus,
Ide suis manu, & ingenio suo exaratis. Quid
ni ego idem & potiore Jure dicam de alieni
ingenii fœru, tanto typo facile fallente exarato
in ætate adeò instabili & rerum adhuc inex-
perte omninò ingenuè cum poëta, uti dixi lo-
quar & repetam. Sed quid interim tu amice
lector? Haud dubiè veniam dabis ingenuo
pudori.

*Typographia Worringeno-Hildenia
Corrector.*

PETRVS HILDEN.

s,
d
ni
o
r.
e
ce
o





PETRUS A
S. JOSEPH
de sacramentis.

Th
2396